Atticae filius genuinus est uterque, cum agricola, quem cum uxore et filio ex praedii opulentia et libertate intra urbis moenia compulit bellum, — nam hostes licet intra biennium proximum agros Atticos populati non sint denuo, quod si fieret, captivos Spartiatas se interemturos minati sunt Athenienses, dementiae tamen foret bello nondum finito rus redire, — tum praeceptor, qui Athenis dudum habitavit neque aliorsum mi-

grare vellet, etiamsi quam maxime posset. Cui non nocuit bellum: profuit potius; nam muris inclusa dum desidet et languet iuventus, variis disciplinis studio tumultuario dedere se coepit et disputando tempus terere, meliora quae agat non habens videlicet. Olim autem peregre quae inventabat mens humana, in Atticam identidem importabantur quidem et recens excogitata aliquantisper illic venditabantur, mox vero cum ipsis venditoribus non amplius comparebant; iam vero in ipso Atticae solo radices egit mira illa novi aevi sapientia. Anaxagoras homo Asianus, Gorgias Siculus, Protagoras e Thraciae ora oriundus, Hippias Peloponnesius, Diagoras Melius, Prodicus Ceus, alii viri plurimi Athenas cum devenissent hospites, doctrinam suam praesentibus nummis per temporis aliquod spatium tradiderunt auditoribus: Athenienses non erant. Prospere cum iis cessisset res, sacculo bene repleto alias regiones petebant. Quanto maiora iam instant pericula a Socrate Atheniensi! Ad quem iuvenes confluunt, quem caeca admiratione complectuntur et suspiciunt, humillimo loco natum nebulonem et vix liberali victu educatum. Is aures iam obtundit iuvenibus multis generosis ceterisque hominibus qui tempore, ut ipse, affluunt neque eius familiaritatem aspernantur, — modo cum Critia vel Alcibiade confabulatus, modo cum sutore aliquo e taberna vicina, de omnibus rebus quae sciri posse videantur, potissimum autem de iis rebus quae nequeant, sermones alios ex aliis sine fine serens. Rogitando is enecat omnes, ad quos cum quaestiunculis suis pervenire possit, nova quae roget habens semper. Ad Aristophanem quidem non pertinent illa taedia, nam sedulo hic cavet ne proximus sibi fiat homo molestus; probe tamen novit quomodo se gerat ille, aliter nimirum semper quam ceteri mortales. Nudis pedibus per urbis plateas obit, uno eodemque amiculo sive hiems est sive aestas indutus, saepe media in hominum turba consistens, ceu lapideus factus sit subito, oculos humi figens et supercilia ita ductans ut ingentis momenti aliquas res in deformi isto capite pertractari crederes, nisi sentires fallacia ista esse artificia viri gloriosi

novosque semper discipulos aucupantis. Nam istiusmodi homines cum de doctrinae sapientiaeque studio voce grandisona disserunt, id unum agunt ut rem faciant: disciplinas loquuntur, nummos cogitant. Socrates sane gratis docere fertur nihilque curare pecuniam, sed id esse ipsius mendacium, nemo qui sapiat non intellegit; non enim animi causa molestum iuvenes erudiendi officium in se recipiunt homines. Quibus autem de argumentis disputare soleat, neque accurate compertum habet poeta comicus, neque scire curat, non commissurus nimirum ut in hilaram suam artem ex simi nugatoris aridis sermonibus verbula aliqua recipiat imprudens. Incertum tamen esse non potest qualia cum sutoribus et sartoribus suis agitet: eodem enim semper redeunt ista, sive Gorgias auditur sive Thrasymachus, sive Prodicus declamat sive Socrates, quippe qui staminibus iisdem verbulorum subtemina inserant omnes. Rerum causas quaerunt, vera a falsis quomodo dignoscantur, a rerum specie quam sensus praebent quomodo discrepent ipsae res, quaeque plura ad hebetandam ingenii aciem moverunt mortales otiose loquaces. Viridia cur sint folia, caeruleum autem caelum apertum, sole cutis cur calescat, pluvia cur madescat, eruditi illi viri quin probabiliter admodum demonstrare possint minime videtur dubium, sed iuvenis bene valens et vigens, cui veris afflant aurae, ipsam lucem et cantus avium florumque colores pluris facit quam hominum vesane doctorum studia in umbraculis causas rerum investigantium. Quorum si inutiles tantum essent nugae, missos facere poterant qui sanioris essent mentis; sed quaeritando et disputando Socrates quique eius sunt similes ipsa vitae humanae fundamenta percellunt et convellunt, nihil intactum relinquentes, nihil non moventes, nihil praeter suam ipsorum mentem reveriti. At numina cur colenda sint, liberis cur parentes sint amandi, furari cur non sit licitum ubi quaerunt mortales, neque satis certa videntur talia nisi arte dialectica allatisque argumentis demonstrari possint, ibi verendum est ne mox e civitate hominum adeo callidorum atque disertorum contemtim abigantur fides iustitia pietas. Tunc proli

Marathonomachorum nihil fortasse in rerum natura etiam obscurum erit, nihil quod disputando non possit probari, sed leto atque oblivioni si quantocius tunc detur gens nimis sapiens, optime de ea actum erit.

Poetam indignatione ferventem proripuit animus... et e simplici argumento procrevit fabula festiva, ingeniosa, optime cohaerens. In Acharnensibus quae fiebant ut veri similia possent haberi, Aristophanes ne minimam quidem dederat operam; in Equitibus qui primarum erat partium quomodo e flagitiosissimo nebulone fieret probus et prudens rei publicae moderator, ne suspicari quidem poterant spectatores; Nubium vero fabulae pars nulla neglegentius est confecta. Quippe regnans iam poeta in sua arte quaslibet compositionis et dictionis difficultates ludendo superabat, et quas semel intra rerum fictarum orbem traxerat spectatorum mentes firmiter usque detinebat, dum fabula alacri aequabilique gressu sine saltibus violentioribus ad finem properabat.

Strepsiadem patrem familias ad incitas dudum redegit bellum, iamque nova ei negotia facessivit filius equos alendo. Equos scilicet patris parci atque sobrii filius, modesta ortus agricolarum gente, satis olim beatorum, dum pax erat et incolumia stabant Attica praedia, sed a fastu inani quam maxime alienorum. Nempe a matre nobili et vitae urbanae innutrita hoc habet puer! Quin adeo versuram fecit, iamque instat dies qua solvenda erunt fenora, neque nummi praesto sunt ulli. Somnum seni excutiunt curae edaces, itaque nocte iam intempesta ante domum suam versatur consilii inops. Tandem incidit ei consilium salutare: ab ipso filio, qui rei familiaris prodigus tam licenter indulsit genio, salebris eripi poterit. Adito ille viros doctos, qui in Meditaculo habitant illic, Socratem Chaerephontem ceteros. Ibi enim discitur quomodo de qualibet re in utramque partem possit disputari et res debilior quibus verborum artificiis fiat firmior. Ex illa disciplina cum redierit, creditoribus nihil se debere haud difficulter evincet.

At iuvenis ludorum et iocorum quam eruditionis magis appetens in pallidorum homuncionum umbracula a patre abduci se non sinit. Nondum tamen abiecto senex quod susceperat consilio ipse fit Socratis discipulus. Sed novae sapientiae in cerebro duro vix et ne vix quidem est locus. Prima quidem doctrinae initia sic satis bene capit; numina loco suo pulsa esse, id optime intellegit; etiam fulminis causam clare perspicit edoctus: vaporibus distentas nubes cogi vento, quas violentius complosas strepitum facere illum, quem tonitru vocent homines, donec disruptae emittant pluviam. Simplicia scilicet sunt haece virorum sagacium placita et cuivis intellectu facilia. Longius vero in nova via procedere conatus haeret mox in artium liberalium rudimentis ponendis; nam verba alia virilia esse, perinde atque tauros vel gallos, alia feminina, modorum autem, ut in foro frumentario, sic et in arte musica aliqua esse discrimina, haec quaeque plura sunt huiusmodi quid sibi velint eum latet. Talia scilicet requiri ut artem creditores eludendi addiscere quis possit!

Ergo ad filium redit res: velit nolit, eundum est in Meditaculum; fit Socratis discipulus, frustra etiamnunc obnisus. „Pater", clamat „erit cum huius consilii initi te poeniteat, mihi crede!" Sed patet ianua, intrare iubetur, in domus penetralia recipitur causarum patronus futurus.

Et post paucos dies a Socrate patri redditur veteratoriam illam dicendi artem probe edoctus. Vultu quidem factus est lurido et Chaerephonti illi, quem „vespertilionem" vocant omnes, quam florida aetate iuveni similior, sed iniustitiae iam est consultissimus. Itaque creditores cum ad sua repetenda adsunt, re infecta redire iubentur; magistratum, si lubeat, adeant litesque intendant! Verbis, non nummis debita iis soluturus est Socratis discipulus e Meditaculo recens!

Irati illi abeunt, senex autem laetus domum suam intrat, cena opipara largisque poculis reditum filii doctissimi cum illo celebraturus...

Flens mox et clamitans et lacera veste foras proruit! Nempe

mensae secundae dum adiacebant viri senior et iunior, de litteris patriis disputare coeperunt; hinc rixa, tandem strenue vapulavit senex.

Ecce autem, prodit etiam filius:

„Tune vapulasse te quereris? Quid enim? Me autem flagro„rum tibi illatorum cur pudeat? Satin sapis?" —

et argumentando clare demonstrat, parentes a liberis verberentur necesse esse, ne vis fiat rerum naturae *δράσαντι παθεῖν* iubenti; itaque matrem quoque mox se castigaturum, quo melius constet rerum humanarum ratio atque aequabilitas.

Sentit iam senex quo deduxerint se novi aevi studia. „Mea culpa!" sic moestus secum: „integer olim eram vitae; quidni „mansi, sed fraude damna resarcire sum conatus! Istud autem „Meditaculum cur petivi! Delirabam. Utinam puerum meum „cum equis suis lascivire sivissem potius; minus quam nunc „ei nocuissem! Corruptus perditus impius iam a Socrate rediit. „Quod haud tamen impune feret ille!" —

utque rerum humanarum satis aequalis sit ratio pro viribus et ipse operam dans, aedem philosophorum facibus atque ligonibus adortus delet.

Mortemne instantem etiam effugerint Socrates et Chaerephon et cetera tenebrionum turba squalida, an fumo in Meditaculo suo sint suffocati, ut aliquot annis ante Pythagorei Crotone, non refertur, nam finita est fabula; sed dignam certe tali exitu esse talem vitam, spectatores e theatro domum redeuntes secum cogitare voluit poeta.

IX.

Aristophanis arti si quid detrimenti anno proximo intulerat studium partium civilium, felicissime id iam erat reparatum. Nam novum opus multo quam illud erat venustius multoque maioris ponderis; neque calidius iudicantis erat sententia, quam

ipse Aristophanes post paucos annos [1]) de eo tulit: „omnium mearum fabularum haec est optima" — Equitibus et Babyloniis ipsisque adeo Acharnensibus, fabulae lepidissimae, suo iure eam anteponens.

Sed nimis bona erat Nubes fabula quam quae tunc, cum in certamine scenico primum est acta, suo statim pretio aestimaretur. Non enim flagrantium colorum luminibus vel violentis clamoribus sensus et mentem spectantium feriebat, non claris cachinnis, ut in Acharnensibus fabula, reboabat theatrum, non gravibus mugitibus hominum furiosorum, ut in Equitibus, sed sermone modico sedato polito ridebatur hominum desipientium sapientia.

Nimis bona erat fabula, quae vulgo offerretur spectanda, nec tamen bona satis. Nam Nubium chorus aliqui satis apte fieri non potuit. Nempe figuram muliebrem poeta tribuerat aegrae mentis insomniis illis, quae pro placitis sapientiae plus quam humanae venditarent Socrates huiusque asseclae. Sed cuiusmodi igitur esse poterant illae feminae? Puellaene decorae? At hominum istorum ingenio arido non conveniebant fetus tam formosi! Aniculaene igitur rugosae? At ipsis spectatoribus, festiva ostendi sibi postulantibus, parum convenisset chorus adeo deformis! Vestibus autem insolitis vel multicoloribus oculos delectandi occasionem nullam habebat Nubium chorus; ridiculum vero vultum vel habitum si comicus iis tribuisset, sua ipsius carmina sciens et inepte perdidisset ipse. Non enim naso turpiculo aut gibbere risum movere licuit iis, quas hisce versibus aditum suum nuntiantes fecit [2]):

---

[1]) In retractata Nubium editione, Nub. 522.

[2]) Hoc canticum quod specie latina ornatum hic prodit quae poetam haud dedeceat, Hartmano collegae amicissimo, poetae et ipsi, id refero acceptum Eidem debetur versio epigrammatis in eos qui ad Thermopylas ceciderunt, carminum quae infra sequuntur Ran. 211 sqq., 340 sqq., 814 sqq., 1331 sqq., 1491 sqq., item tetrametrorum Ran. 786 sq., trimetrorum Ach. 394 sqq. Ran. 465 sqq., 1402 sqq., fragmenti e Musis Phrynichi allati. Cui gratias pro tanto beneficio et debeo maximas et ex animi sententia palam hic ago. — Ceteros versus, quos hic illic attuli, ita ut poteram verti ipse.

„Nubila iugis aquae!
„Tollamus speciem sine pondere rorantemque
„Oceano patre raucisono super,
„Montium ad edita celsa cacumina
„Fronde comantia:
„Haec specula unde sacrae gremium patet
„Telluris, sata quod fovet uvidum;
„Flumina prospicimus strepitantia
„Et grave gurgitibus reboans mare.
„Usque etenim vigilans nitet aetheris orbis
„Et radiis coruscat.
„Corpore ab aetherio fugiant sed aquosa
„Nubila, lumine nunc hominum arva
„Lustremus ut omnituenti.

„Virginea uda cohors!
„Visamus sola pinguia Palladis et dilecta
„Cecropis arva viros generantia!
„Hic decus illud sacra tacentium
„Sancta domus, quis illa recluditur,
„Tempora cum redeunt stata.
„Caelitibus sua dona hic, edita
„Templorum decora hic, simulacraque;
„Pompaque multa deos veneratur et
„Florea festa dapumque opulentia;
„Quolibet ista sole:
„At tua vere novo redeunt sacra,
„Bacche, tuique chori nova praelia;
„Stridet grave tibia festa!"

Certi igitur de Nubium choro dici nihil potuit praeter hoc unum: esse mulierum vestibus pullis — qui nubium est color — indutarum et velatarum, sive iuniorum sive aetate provectiorum; non enim dispiciebatur facies. Qua aetheris prole potentissima impelli mortalium ingenia ad rerum causas explorandas caelique

arcana pervestiganda licet audirent spectatores, fieri non potuit ut numina ista umbratica in orchestra adspecta tanti facerent quanti agricolas illos altis clamoribus in Dicaeopolidem irruentes et pugnis baculis lapidibus ei comminatos, vel turmas militum equestrium in Paphlagonem equos ab artificibus scenicis lepide confectos martio impetu adigentium. Rei scenicae aliquanto peritiorem ante annos nonnullos se praebuerat Cratinus longo usu edoctus, cum *Πανοπτῶν* chorum in orchestram induxit. Quorum hominum nomen quid sibi vellet nemini obscurum esse poterat, oculis enim per totum corpus ornati quaelibet pervestigandi atque scrutandi studium ludicra specie prae se ferebant. Hoc demum iocorum genere perfrui poterat obtusissimus quisque inter spectatores. Aliquanto salsius novae doctrinae antesignanos risit Aristophanes, sed theatrorum plausus Cratineis illis facetiis facilius et olim captabantur et nunc captantur.

Ut chorus Nubium, sic vir, qui illarum alumnum atque sacerdotem se profitebatur, non ex ipsa vita erat desumtus. Nam quicquid ridicule, quicquid contemtim, quicquid maligne de sophistis quibuslibet dictum aut fictum fuerat unquam, in unum illum hominem, quem in pulpito exhibuit, ea omnia contulit poeta. Ineptus et tumidus et sibi perplacens, avarus et improbus et squalidus et quid non est vir, quem in lectulo lucubratorio e trabe suspensum, quippe sublimem de rebus sublimibus meditantem, spectatoribus deridendum comicus propinavit. Cui cum Sophronisci filio praeter nomen et vultum nihil esse commune, uno ore clamarunt quicunque familiarius illo utebantur, virum sibi carum tam proterve in theatro vellicari indignati; qui vero non norant Socratem, riserunt quidem philosophum illum inter tecti tigna ceu gallum gallinaceum degentem, sed cum neque ipsum hominem quicquam curarent, neque astronomiam geometriam geographiam ceteras artes, quibus colendis ille vitam inutiliter videretur terere, languidam duxerunt fabulam de obscuro nebulone scriptam.

Sed hebetioris ingenii spectatores quae minus fortasse delectatura erat fabula, a musa certe ne damnaretur verendum non

erat poetae. Qui in Socrate insectatus erat perniciosa aequalium studia, quicquid fallax eruditio et male sana sapientia proferrent cupide arripientium. Iuventutis corruptor ille impius, improbus, nihil non addubitans, quem in proscenium produxit Aristophanes, nonnisi unius viri faciem gerere poterat, quae autem tam erat apta ad risum movendum quam Socratis, naso obtuso crassisque labiis Sileno simillimi; sed Socratis nomen isti homini nihilo maiore iure dari potuit quam Thrasymachi vel Protagorae vel Prodici aliusve sophistae cuiuslibet. Sic fabula — altius quam personatus ille Socrates in machina sua pensili — supra rerum quotidianarum vicissitudines fortuitas emersit in artis genuinae orbem illum, ubi longaeva gignuntur opera, et hodiernorum hominum vitam atque mores non minus recte quam eorum quibus scripta est eam ipsam ob causam refert, quod poeta studium servile aequales ex vero referendi est aspernatus; sed virtutum quas fabula habet maximae sic a plerisque inter cives, qui tunc cum primum data est in theatro assederunt, suo pretio aestimari non potuerunt.

Itaque tertium praemium Nubibus fabulae est concessum. Cratinus senex, quem anno proximo proterve riserat Aristophanes, utpote decrepitum effetique ingenii silicernium, ei est praelatus, nec non Amipsias multo deterioris notae poeta. Et tamen ex eadem fere atque Aristophanes materie hic suam desumserat fabulam. Secundas tulit quem fecerat chorus φροντισταί, tertias chorus Nubium Socratis illud φροντιστήριον tuitarum.

Sic poeta iuvenis suo damno didicit vulgi sive laudes sive vituperationes suo pretio aestimare. Nam Equites fabulam qui pluris fecissent quam Nubes, eos de artis operibus ita iudicare ut caecos de coloribus, nemo melius sentire potuit quam sensit ipse.

Nubium fabula Amipsiarum nugis posthabita gravius etiam poetae animum ussit biennio post; tunc enim eius Pacem vicit fabula, cuius materies item Nubibus erat cognata: Eupolis in orchestram produxit chorum Adulatorum sive hominum eruditorum, Calliae iuvenis ditissimi et fatui crumenae inhiantium;

in qua caterva famelica erant Protagoras et Chaerephon. Tunc ut de Nubibus fabula minus iniquum fieret iudicium operam dare secum constituit Aristophanes. Quam si iterum magistratui voluit offerre vel revera obtulit, magis etiam quam antea spe est frustratus; nam fabula non iterum scenae est commissa ludis publicis. Sed rem tam insolitam appetivisse non videtur. Quicquid id est, edidit tunc fabulam, postquam deletis aliquot versibus, quorum nulla iam supersunt vestigia, quinquaginta fere novos inseruit. In his libere expostulavit cum civibus fabulam immerito aspernatis, Eupolidem autem aliosque aemulos acerbis petivit dicteriis; quorum iocos quicunque probarent, his ipsius Aristophanis facetiae utinam ne placerent!

Legentium alia quam primorum spectatorum fuit sententia; hodie Eupolidis Adulatorum — fabulae minime tamen insulsae — non nisi rara supersunt vestigia, et Amipsiae Philosophos alta tegit oblivionis nox: Nubes et Pax Aristophanis fabulae clara etiam in luce versantur.

X.

Induciarum tempore Aristophanes duas fabulas fecit, *Proagonem* et *Vespas*.

Quarum prior mense Februario anni 422 Lenaeis est data primoque praemio ornata esse videtur. E scenica arte desumtam fuisse materiem docet nomen; praeterea Euripidem poetam tragicum in ea derisum esse novimus.

Mense Martio Magnis Liberalibus scenae commissa est Vespae fabula. Cuius operis germen in Aristophanis animo vixit inde ab eo tempore quo Nubes scripsit, Nubium autem pars posterior Vespae fabula dici potest. Post causarum patronos poeta petivit iudices.

Seni rustico Meditaculum illud primum visenti a Socratis quodam discipulo monstrabantur varia disciplinarum instrumenta et adminicula, in his tabula orbem terrarum exhibens depictum. In qua cum indicatus sibi esset locus, ubi Athenien-

sium urbs esset sita, rideri se ratus „ohe" clamabat: „apage nugas! Istic si sunt Athenae, quidni video iudices sedentes?"

Nempe iudicibus orbam cum urbem suam fingere sibi non posset Strepsiades, filium iniustitiae consultum fieri iussit.

Pullulabant illo tempore Athenis iudices et causarum patroni. Ante paucos autem annos Cleone auctore perlatum erat populi scitum, ut iudices singulis diebus non unum obolum, ut antea, sed triobolum mererent. Quae res multis civibus proderat, praesertim qui aetate essent provectiore. Multi enim tunc temporis in urbe degebant otio quam pecunia magis affluentes, qui in tanta rerum promercalium caritate quamlibet occasionem nummorum aliquid honesta ratione adipiscendi avidissime appetebant. Inopes igitur senes permulti libenter se sistebant ad sortitionem iudicum, et compluribus millibus hominum hinc fiebat panis quotidianus. Vel sic autem nimis exiguus erat iudicum numerus, ingens enim copia litium erat dirimenda, cum praesertim undique in urbem convenirent socii ad causas orandas; nam de horum quoque litibus publicis ius dicebatur Athenis.

Siccine mutatae Athenae! Ludicrane magis res an tristis? Rabularum artificia diudicando Marathonomachi triobola iam merent diurna. Quicquid etiam superest ex splendido illo aevo, quo Graeca gens sanguinis animaeque prodiga barbaris propulsatis libertatis fundamenta iecit firmissima, nummulis nunc inhiat, neque quicquam antiquius habent homines grandaevi quam ut sedeant iudices. Pro telo iam est suffragium, quod cum digitis tenent tremulis, nullis mortalibus secundi sibi videntur, quippe sententiam prouti lubitum fuerit laturi neque rationes reddituri cuiquam. Vir autem nobilis cum in iudicium vocatus supplex eos adit manumque iis praebet illam, qua aurum ex aerario publico nuper surripuit, gaudio panditur pectus anhelum et Graeciae dominos se in concione ab oratoribus non frustra identidem vocari probe sentiunt... denuo nimirum pueri facti senes decrepiti, quibus nocte intempesta surgendum est quotidie, poplitibus rigidis forum citatim petendum, ut sorte cum ducantur nomina iudicum, iusto tempore

adesse possint; dein si faverit sors, postquam sederunt et sententiam tulerunt, cum trinummo suo laeti revertuntur, est enim unde uxori et liberis hodie praebeatur polenta; sin designati non fuerint, vacuis manibus domum repetunt: non habent unde peram flaccidam repleant, moestis clamoribus a suis recipiuntur, quoniam esuriendum hodie erit omnibus. Hocce videlicet imperium post mille labores per maria per terras exantlatos strenua virtute sibi pepererunt Graeciae illi domini!

Fabulae initio duo servi adspiciuntur ante aedes quasdam clausas sedentes, in tecto autem excubias agit herus. Sic enim iis noctu custodienda est saeva belua. Beluane Athenis, in ipsa illa sede musarum? Ita, non tamen quadrupes, sed bipes. Nempe heri pater apud ipsum habitans miro inauditoque furore est correptus. Ut alios morbus regius vel morbus comitialis, sic eum invasit morbus iudicialis, malum vehementissimum, quod requiescere miserum senem non sinit. Quid non tentavit filius ut patrem carissimum sanaret! Balneis et incubationibus et incantationibus pestem illam sollicitavit frustra, iamque inclusum intus tenet, certe ut teneat operam dat omnem, sed modo parietibus insultat homo aegrotus quantumvis annis onustus, modo per caminum vel per truam subducere se conatur; et nisi clausae semper essent fenestrae, clausa esset ianua, retibus aula esset obtecta, dudum foras evasisset. Philocleon seni est nomen, Bdelycleon filio, alter igitur abominari se Cleonem, alter diligere et admirari ipso nomine profitetur.

Iamque diluculum est et senis adsunt sodales, in forum more solito primo mane abeuntes et Philocleonem e domo sua evocantes, ut ipsos comitetur. Audito autem quid rei sit, ferocissima haec Crabronum Atticorum gens, quae longo et praeacuto angulo est munita, amicum vi liberare conatur. In Bdelycleonem eiusque ministros fit impetus, aestuat pugna, tandem efficit adolescens ut dicendi sibi fiat facultas, dein patri ceterisque senibus demonstratum it, satius iis esse domi manere otiosis quam dirae isti ius dicendi libidini indulgere. Audiendos

non esse oratores de populi potestate et honorificentissimo illo iudicum officio impudenter deblaterantes. Verba dari populo, non iusta laborum praemia; clamosos illos praedatores aerarii de ingentibus opibus pusillas quasdam particulas iis praebere contemtim et maligne, quemadmodum heluones dapibus succulentis se ingurgitantes panis crustulas proiciunt canibus famelicis. Publico commodo invigilare se et pro patria semper vires intenturos dum vociferantur, aerario publico inhiare, talenta captantes, obolos relinquentes populo dilectissimo et pro tantis beneficiis meritas sibi grates laturo.

Sic choro et patri Bdelycleon plane persuadet vilissima esse bona illa, quibus tantopere laetari et gloriari soleant. Sed, eheu, senex postquam perspexit spe inani dudum se pastum, ad rerum desperationem redactus animo deficit, perinde atque homo lunaticus, cui somnus excutiatur subito. Qui postquam vix aegre ad se rediit, filius recordatus rabiei remedium esse pilos canis rabidi „heus pater," — ait, — „quoniam tam grata „tibi est iurisdictio, quin domi tuae iudex sedes solus? Sic opus „non erit ante auroram e lecto desilias; trinummos autem ego „tibi pendam libenter."

Iamque in senis pectore redintegratur vitae amor, instare enim videntur beatissimi illi dies, quorum in vaticinio quodam mentionem fieri meminit, quibus suum singulis civibus domi futurum sit tribunal. Iuris nimirum consultos omnes Athenienses fecit alma natura.

Struitur igitur tribunal ante aedes. Cancellos praebet hara; situlae duae culinariae sunt pro urnis tabellas iudicum recepturis; somnus autem si forte Philocleoni obrepserit inter orationes causidicorum nimis disertorum, gallus domesticus cantu eum excitaturus est. Et, quod gratum praesertim est homini annis provecto, adstabit olla pultis calidae, unde haustu identidem sumto animos sibi reficiat. Talia non habebant publica illa tribunalia! Iamque ad ius dicendum nihil etiam requiritur nisi reus aliquis; sed sat cito utique is aderit: — lites Athenis haud facile sunt defecturae.

En ad Bdelycleonem magistratus officio fungentem defertur causa. Canis e culina surripuit caseum. Considunt iudices, prodeunt reus et qui furti eum accusavit canis alter, prodeunt testes, lege dein prorsus ita agitur ut in iudiciis publicis; plurima igitur moventur quae a quaestione aliena sunt, et flebili peroratione iudices flectere conatur reus, quem circumstrepit catulorum eiulantium caterva. Itaque hunc eventum habet lis ut reus, cuius culpa liquido patuit, per errorem absolvatur.

Quam iudicum sententiam postquam magistratus urna diribita gravi voce promulgavit, Philocleon „vae, actum de me!" clamat et veluti de caelo tactus proruit. Qui ne novo et graviore iam malo correptus sit primum veretur filius, sed mox sentit morbi in melius conversionem hanc fuisse, similia igitur similibus revera sanari posse; nam refectus postquam seni est animus, excusso furore iudiciali eum resipuisse apparet.

Iamque ut humaniori vitae denuo eum conciliet strenue operam dat filius; nova veste eum induit et inter cultiores homines — quorum mores pater inter misellos de plebe paupercula senes illos oblitus est — quomodo sit versandum, quid faciendum, quid dicendum, eum docet. Dein ad amici cuiusdam cenam abductus senex ita ut puer aliqui imperitus illic lascivit, desueta nimirum hilari convivii voluptate abreptus, et ebrius tandem defertur in lectum, ubi crapulam edormiat. At minime grave hoc est malum; per noctis enim quietem evanescent vini generosi vapores, cras autem plane in integrum restitutus et e Cleonis vesano illo admiratore alter quidam Bdelycleon factus prodibit.

XI.

Mira profecto fuit ratio, qua hoc anno a rebus publicis abstinuit poeta. Qui fabulae initio ore servi alterius praefatus est neque gravioris argumenti fabulam spectatoribus esse expectandam, neque vero iocos rusticiores, Cleonem autem denuo conculcare

minime sibi esse in animo; et stetit promisso, non enim in ipsum Cleonem intendit facetiarum tela aculeata. Sed in dementi quodam „Cleonis admiratore" ipsum Cleonem despicatui et propudio ita habuit, ut recta si esset petitus, minus fortasse id ei grave fuerit futurum. Sua autem ipsius verba cui tribuit poeta adolescenti probo strenuo prudenti, huic „Cleonis osori" dedit nomen.

Ut Proagoni, sic et Vespis primum praemium cessisse videtur; certe iniquos nisi iudices sortita est fabula, cedere id ei debuit. Neque enim festivius neque acrius furor ille iudicialis potuit rideri. Digna autem erant tribunalia Atheniensium quae riderentur vel etiam seria oratione vituperarentur. Verborum enim praestigiis cum reos tum accusatores coram iudicibus, quorum simplicissimi et rudes erant permulti, male abusos esse saepe, non ut verum demonstraretur illic operam datam esse praesertim, sed ut persuaderetur audientibus quicquid e re loquentis esset et commoveretur iis animus, artificia igitur oratoria quaelibet cupide esse arrepta, fallaces argumentationes, mendacia, crimina falsa, minas, calumnias, quid non in orationes admissum esse spreta fide et spreta iustitiae cura, eae quae ad nos pervenerunt orationes quavis fere pagina testantur. Etiam innocentissimis mortalium apud iudices Athenienses causam orantibus verborum fuco opus erat, ni vellent damnari, et ludicra illa imago tribunalium Atheniensium, quam praebet Vespae fabula, veri quantum habeat qui hodie secum perpendit ab Andocide vel Lysia recens, vix potest quin sentiat res a poeta haud ita magnopere adauctas vel distortas esse.

Cognata igitur licet Nubibus esset Vespae fabula, facilius quam illa a vulgo spectantium iusto pretio potuit aestimari; magis autem statim adspectus placebat senum aculeatorum chorus perridiculus quam Nubium caterva velata et decolor, et plurima oculorum oblectamenta habebat canum lis illa facetissima. In firmo rerum quotidianarum solo felicissime denuo versatus erat Aristophanes, licet a Cleone abstinuisset, certe abstinuisse se perhiberet.

Quod quo iure perhibuisset, quaerere non vacabat Cleoni illis diebus, quibus Vespae fabula scenae est commissa, rerum gravissimarum et molestissimarum tunc satagenti. Nam per menses proximos neque ipse requieverat neque qui ab eadem cum eo parte stabant in re publica, sed ut cederent sibi qui pacis appetentes erant effecerat. Itaque bellum redintegrare Atheniensibus placuerat, utque hostem strenue mox possent adoriri dabatur opera. Iamque inducIarum erat finis et Thraciae oram classe primo quoque tempore petiturus erat Cleon, ut Amphipolim ceterasque civitates, quas ab Atheniensibus segnius defensas Brasidas partim vi partim callido consilio ante biennium iis eripuerat, armis si posset recuperaret. Quos bellicos Cleonis apparatus irridens Bdelycleon perhibebat populi illos duces, qui pro patria dum vita maneret decertaturos iactarent se, voce potissimum valere, furandi scilicet quam bellandi et peritiores et studiosiores. Magis nimirum quam anno proximo rerum publicarum cursus iam impellebat poetam comicum ad vellicandum Cleonem eiusque amicos, utpote paci quam maxime infestos.

Media fere aestate cum classe et exercitu terrestri in Thraciam Cleon profectus Torone mox est potitus; cives Toronaei partim caesi, partim capti, mulieres et impuberes venditi. Eadem Galepsi fuit sors; Amphipolim vero tentanti obiecit se Brasidas. Numquam autem clarius quam tunc patuit quantilla praetorum Atheniensium in suos milites esset auctoritas; cives enim ei, qua gaudebant, libertati non ducere consentaneum, quicquid iuberent duces, caeco obsequio parere: Spartiatarum id esse regibus videlicet obedientium, non virorum sub populari imperio viventium. Itaque Cleon hostibus imparem se sentiens cum auxilia expectare vellet, priusquam urbem firmam copiisque affluentem oppugnandi faceret initium, cum suo patriaeque maximo detrimento expertus est dudum praeteriisse dies, quibus Pylo victorem nuper reducem suspicerent se cives, utpote rei gerendae peritissimum. Non iam tanti fiebat is qui ex officina coriaria prodierat bellator, quique vehementissimis olim verbis criminatus

fuerat duces ad Pylum cunctando tempus terentes, is ipse iam a suis militibus insimulatus est segnitiae. Quibus ut aliquatenus certe satisfaceret, propius ad urbem accessit; sed hostibus portis apertis desubito proruentibus cum copias suas tempestive subducere non potuisset, clade gravissima est affectus, ipse occisus. Ex hostibus non nisi paucissimi ceciderunt, in his ipse Brasidas.

Nullis etiam cavillationibus vel iurgiis Cleonem insectaturi erant poetae comici, rebus enim humanis ereptum fortuna funebri illa corona ornaverat, quae odio invidiaeve non est obnoxia...

Sic fortasse secum reputaverit quispiam. Sed non tam lenis Aristophani certe erat animus, ut partis popularis duce mortuo deponeret iram illam, qua flagraverat erga vivum. De imperatore qui, etiamsi artis bellicae — quod aiebant obtrectatores — non satis peritum se praebuisset, adversus hostes utique dimicans et a suis militibus relictus ceciderat, patriae non verba sola tunc certe dans, sed ipsam vitam, nihilo clementius iam iudicavit quam olim, non ignoscendum ei ratus, si quid errasset, non parcendum eius memoriae, — cum Thucydide historiarum scriptore ne ea quidem laude dignum habens, quam vel scelestissimo cuique homini pro patria mortuo tribuendam dixit orator ille Thucydideus: vitae culpam leto redemtam. Itaque etiam de mortuo Bullione poeta comicus quid sentiret apertissime dixit, — quoties quidem tulit occasio; sed non ferebat haec ut multa etiam de eo dicerentur publice. Nam in controversiis civilibus etsi generosi animi praeceptum illud: „de mortuis nihil nisi bene esse dicendum" minus solet vigere, at taceri ibi solet de mortuis, quoniam ex hominum mente et memoria citius elabuntur neque opus est deici iacentes. Hyperbolus iam scurrarum iocos in se convertit partibus popularibus praepositus lucernarum fabricator. Primus in eum fabulam Maricantem scripsit Eupolis, quae fabula paucis mensibus post Cleonis mortem est data. Aristophani autem si credendum, —

sed victi aemuli suspecta fides, — Maricantem Eupolis finxerat ad imitationem isiciarii illius Aristophanei. Ad quod crimen crimine respondens Eupolis: „immo mea" inquit „a calvo isto nebulone repetivi!" — capilli Aristophani mature exciderunt — „nam ipse argumentum fabulae illius, qua tantopere gloriatur, dono ei dederam!"

Sic poetae iuvenes laudisque avidi scommatis — serione magis an iocantes? — inter se lacessiverunt.

Cleon fabula non est factus denuo; neque enim in fatis ei fuit ut pergeret cives incitare ad rem strenue gerendam. Qui autem anno proximo frustra speraverant fore ut post inducias statim fieret pax, ad pristina iam consilia redierunt, cum clade Amphipolitana e civium animis bellandi studia excussa sentirent, nec non Spartiatas mortuo Brasida duce praestantissimo libenter arma posituros.

Itaque hinc Plistoanacti Lacedaemoniorum regi pacis amanti est obtemperatum, illinc Niciae cautissimo negotiatori et feneratori, cautissimo in vitae moribus instituendis, cautissimo in gerendis rebus civilibus et bellicis. Cui hactenus contigerat ut nullis hominibus esset offensioni. Non enim repentino aliquo fortunae favore ditatus erat, neque subito casu emicuerat eius fama, sed sensim creverant opes, sensim creverat nominis splendor. Ab hominibus audacioribus si quando res familiares vel publicae in aleam dabantur, ipse expectans in tuto adstabat; alii dum intra paucorum dierum intervallum ingentem laudem ingentemve auri vim captabant, alii male perdebant, ipse lento gressu et pedetentim sed prospero semper eventu procedebat, neque damno unquam affectum norat quisquam. Iamque venerat tempus, quo rerum patriarum pars magna futurus erat, eorum qui paci studebant princeps, non nobili quidem sed honestissima certe gente natus vir gravis et praedives. Cleonis quidem facundiae vehementissimae impar et antea fuerat et ex illo praesertim die, quo — nimis tunc cautus! — praeturam ei cessit; coriarius enim eius tunc loco Pylum profectus felicis-

sime mox ibi rem gessit. Sed Hyperbolo vel Alcibiade facile superiorem fore se confidebat: cum nequam eiusmodi hominibus contendere non esse temeritatis, lucernarum enim isti venditori clamoso nullam esse rerum publicarum peritiam, nullam inter cives auctoritatem; iuvenis autem protervus, cuius nomen propter libidinum intemperantiam in omnium ore versaretur, ut serio aliquid belli domive tractaturus esset unquam, vix videri credibile, licet laudis esset appetentissimus et Periclis consobrinus.

Et hoc quidem tempore cives iis solis praebebant aures, qui ad belli decennalis finem faciendum adhortabantur. Nam rebus adversis extinctus erat martius ardor, et paenitebat spretarum olim pacis condicionum, quas tunc cum Cleon victor Pylo redierat saepius obtulerant Lacedaemonii. Nempe plus, quam praebebant illi, tunc poposcerant Athenienses, nunc vero „utinam" secum mussitabant „non partium popularium duci, Spartam „prorsus proterendam vasta voce clamantis, tunc essemus auscultati, sed Niciae huiusque amicis: sextum iam annum fuisset „pax!" — Nunc magna poscendi nullam etiam esse occasionem, sed bene actum fore de Atheniensibus, si condicionibus non nimis iniquis cum hostibus pacisci liceret, probe sentiebant omnes.

XII.

Ergone instabat malorum finis! Decem per annos inter se iugulare Graecos postquam siverant numina, tandem impium illum furorem fregerant! Uno eodemque momento, ut fratres illi Thebani, dux uterque ceciderat, et cum illis ceciderant bellandi studia; non nisi consilii et benevolentiae aliquid etiam requirebatur ad confirmandam pacem nulli non optatissimam.

Laeto aestu efferbuit poetae iuvenis animus generosus. Quem non solum gaudia pertentabant dulcissima, sed et superbia meritis quaesita. Nonne et ipse pro viribus strenue dederat operam ut pacis illa spes rata fieret aliquando? Nonne audacter

et constanter — etiam in fabula hodie deperdita, quam *Naves onerarias* nuncupavit, fortasse etiam in *Agricolis* — caedis fraternae finem fieri iusserat? Nonne diris mordacissimis bellum internecivum devoverat et fronti perfrictae hominum scelestorum, qui civium iras et odia stimulabant, infamiae notam inusserat? In Cleone iacebant iam saeva illa studia usque bellandi, at ad illum deiciendum quam fortiter vires intenderat Aristophanes! Qui quae aemuli invidi in ipsum iactaverant dicteria, comicum quendam Herculem nuncupantes et scenae mercenarium, quippe qui fabulis non suo nomine in certamen commissis famae alienae inservire soleret, felici audacia in melius convertens „Herculem me dicitis?" clamavit: „nomen „et omen laetus accipio. Unam certe iam debellatam habeo „beluam; nam Alciden illum imitatus canem quendam vici „Stygium, cuius caput rabie tumidum circumlambebant adula„torum linguae pestiferae, et oculi impudentissima fulgebant „avaritia, et vox erat torrentis post tempestatem per avia saxa „ruentis. Quod monstrum teterrimum ego solus non reformidavi, „non vitavi, sed correptum detinui, donec iacuit prostratum et „iners. Iamque ubi sunt Cerberi illius minae?"

Ineptene gloriantis haec? Pueriliter sane, sed veri poetae haec fuit puerilitas. Cuius auditis verbis partim serio partim iocose sic iactantis — magisne iocose an serio, rogatus non habuisset dicere — si quis recordetur lepidae fabellae quae est de musca in temone sedentis, hoc quoque secum reputato, iumentis, quae carpentum e coeno extraxerunt, porro pergendum mox fore per stratarum viarum taedia, muscam alis extensis sursum provolaturam, aëris incolam liberam. Tam magnifice nisi de se suaque arte sensisset poeta, non is quem novimus factus esset Aristophanes. Iuvenem sinamus felicissimo errori indulgere! Sat cito eripientur ei quae concepit gaudia maiora quam pro vitae humanae casibus variis et ancipitibus.

Nova fabula unde esset ducenda minime iam ei fuit dubium, et si quam materiem per aestatem et auctumnum molitus erat,

fortasse etiam ex parte elaboraverat, eiusmodi conaminibus interruptis et arrepto illo argumento, quod unum longe maximi iam momenti erat, *Pacem* fabulam scripsit laetitia exsultans, dum civium et hostium legati inter se deliberabant. Quae acta est fabula mense Martio anni 421 Magnis Liberalibus, paucissimis diebus antequam pax inita et sanctissimo iureiurando confirmata est.

Saepius iam pacem commendaverat laudibusque celebraverat Aristophanes; non tamen fuit periculum ne nova fabula prioribus nimis similis videri posset. Nam laetissimo ingenii nisu poeta supra res quotidianas et legatorum controversias fallaces alte evectus est in artis suae regnum illud, ubi miro quodam splendore perfusa nitebant omnia.

Ingenti scarabaeo Vinitor civis Atheniensis sursum vehitur, — ut Bellerophon ille Pegaso equo alato, — moestas querelas agricolarum, quorum opes bello sunt absumtae, ad thronum regis caelestis laturus. Redux autem e caelo Bellerophon olim Euripideus

„Fama inter homines, vivere in caelo deos?
„Fama illa mendax! Aetheris vacant plagae!"

clamaverat de sorte humana desperans, et impia illa tragici herois verba in pulpito comico confirmaturus videtur agricola Atticus, qui eodem suscepto itinere in sedibus caelestibus neque Iovem reperit neque deos ceteros. Sed non eam ob causam frustra eos petivit, quod nulli essent dei, sed quod non illic essent ubi inventurum eos se speraverat, non satis alte videlicet supra mortalium contentiones inanes evectus. Nam recesserunt in mundi penetralia, ne etiam adspicerent hominum scelera aut voces perciperent de sorte, quam sua ipsorum stultitia sibi consciscunt, conquerentium. Iamque in aedibus caelitum habitat Bellum, alma autem Pax in spelunca profunda est abdita.

En monstrum illud ex ostio caelesti procedit dentibus frendens, oculos circumrotans crudeles, hirsutis brachiis ingens

mortarium tenens, cunctas nimirum Graeciae civitates contusurum; inicit Spartam et Athenas et Megara et Syracusas et ceteras: — ingens ex iis fiet moretum in ipsius cenam. Pistillum ubi est?

Frustra circumspicit pistillum. Nempe nuper in novam hanc domum commigravit: supellectilem nondum satis bene habet dispositam. Itaque

„Heus puer!" mugit: „Athenis pete pistillum; fac adsis dicto citius."

Tremulus pallidusque sine mora — nam *θεῶν αἰψηρὰ κέλευθα* — redit minister:

— „O here, Athenienses pistillum suum amiserunt."

— „Quantocius igitur i Lacedaemonem."

Denuo redux mancipium metu perculsum:

— „Vae mihi!", vociferatur: „ignosce mihi, here, obsecro, nam ne Spartiatis quidem est pistillum; amicis quibusdam Thracibus commodarunt, iamque nusquam comparet."

Ira percitus Belli deus intus abit, ut pistillum sibi conficiat ipse. Iamque Vinitor, qui anxius aliquantisper in angulo delituit, audacibus fortunam favere recordatur: quid si Pacis dea e carcere illo, ubi nunc languet inclusa, prius liberetur quam saeva ista bestia pistillum suum teneat? Sic frangatur huius potestas et Graecia instanti perniciei etiam eripiatur! Itaque clara voce, quae ex aethere sereno ad ultimas Graeciae oras pervenit, „huc adeste!" clamat „quicunque Pacis amantes estis „agricolae et mercatores et opifices sive Athenienses sive pere„grini, huc adeste cum rastris et ligonibus et rudentibus, ut „almam deam liberetis!"

Undique concurritur, ceteris autem alacriores adsunt agricolae Attici; mox saxis dispulsis ex spelunca liberata prodit Pax, ingentis et vere divinae staturae femina, ulnis tenens puellas duas formosissimas, Pomonam et Laetitiam. Hae virgines comitantur Vinitorem in terram redeuntem postquam res tam egregie sibi cessit. Laetitia ludis publicis, ut olim, praesidebit Athenis et innocentissimas civibus praebebit voluptates, Pomonam uxo-

rem ducit ipse Vinitor, cuius cena nuptialis finem facit fabulae. Pompa iocosa agricolae sponsum et sponsam deducunt in praedium, ceteram vitam prospere et feliciter rure transacturos.

Sic patuit non mortuos esse aut in auras evanuisse Graeciae deos, neque terram olim sibi caram missam fecisse. Regem superbum, quem cum mundi gubernatore expostulaturum in Iovis aedes misit Euripides, e nubibus deturbarunt in durum terrae solum, ut mortalia spirare disceret mortalis; agricolam vero probum et strenuum, qui de patriae salute sollicitus supplex eos adiit, salvum et voti compotem remiserunt in agrum natalem, ubi modicis opibus frueretur in re tenui contentus. Grato animo Vinitor — et paullisper oblitus in pulpito comico se verba facere — numina affatur, pro civitatis prosperitate preces fundit, Pacis deae in terram reduci sacra fert. Sapientes „bellum omnium rerum patrem esse" perhibeant licet: fidem iis non habent qui agrum colunt. Sciunt hi non odio et discordia sed caeli beneficio maturari frumenti aristas, non belli sed pacis donis turgescere racemos et ficus et olivas; sciunt bellum esse mortalium improborum et impiorum, pacem vero sanctae deorum voluntati obsequentium. Supra rabidi torrentis voraginem panditur alma lux arcus multicoloris, Furori custos additus Amor. Non rerum dominum bellum fecit summa lex mundi, sed bellum pace domari iussit, malum vinci virtute, caliginem luce, Martem subici Minervae.

Comicane haec fuit fabula? An dithyrambus potius est dicendus ad pacem celebrandam compositus, cui admixta sit fabula magica? Veris utique dissimillima quaeque fieri nullo pacto potuerint videntur quae spatii temporisque finibus audacter neglectis ostenduntur spectatoribus, ... sed fabula illa absurda miro quodam poesis splendore est perfusa iocisque abundat festivissimis, serii autem consilii et masculae gravitatis sub turbulenta lascivia tantum habet ut multo maioris quam vulgares scurrarum facetiae sit pretii et ponderis. Non divini iumenti alis Vinitor in caelum est elatus, sed tamen quo tendebat pervenit; rusticus modestus scarabaeo suo vectus est

ad domum illam caelestem, quam heros tragicus sorte terrestri improbata frustra petiverat.

Et vicit Pax fabula et victa est; secundum enim praemium tulit, primum autem cessit Adulatoribus Eupolidis. Graviter tulit Aristophanes aemulum philosophos irridendo id assecutum quod ipse suis Nubibus ante biennium frustra sperasset, nec mirum est iniquam ei visam esse quamlibet iudicum scenicorum sententiam, qua non Aristophani deferrentur primae. Nos, quibus fabulae Eupolideae non nisi fragmenta quaedam sunt cognita, id unum habemus dicere, perquam ingeniosa et faceta fuerit oportere, ni immerito sit anteposita Paci Aristophanis.

III. De poeta viro.

I.

Qui pacem diu speratam secuti sunt dies, vitae laetissimos post pueritiam eos habuit poeta. Revera igitur hastis vites fulturi erant agricolae et tubis pro cottaborum statuminibus usuri; pax enim erat, pax alma: Niciarum prudentibus consiliis superatus erat furor Cleonum. Non caput ingentis imperii futura erat Atheniensium civitas, sed homines felices vitam vere vitalem, ut olim, illic erant transacturi. Miseri Lacones, qui quartum iam annum procul a patria in vinculis languebant, domum redituri erant civibusque suis relaturi non iam hostes odio internecivo instinctos vivere Athenis, sed fratres Spartiatarum et socios.

Sociosne? Ita sane! Id quoque in fatis fuit ut pacem proximum insequeretur foedus ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis initum. Liberati sunt milites captivi...

Et tunc... quid tunc? Spumae tunc bulla, quae coloribus laetissimis splendebat, disrupta ad nihil rediit et finem habuit poetae iuventus.

Nempe fabulam, ut in theatro, sibi esse narratam, nimis cito sensere Graeci, neque ipsam Pacis Deam sed inanem aliquam eius imaginem ab agricolis Atticis in lucem esse protractam. Optimas profecto pactiones prudentissime concinnaverant

Nicias et Laches ceterique bonorum virorum principes, neque erat quod in iis vituperaretur praeter hoc unum ... quod perfici non possent. Ut primum iuramentis sunt confirmatae, nullius pretii esse apparuit, non enim stari promissis. Convenerat ut Amphipolis redderetur Atheniensibus, — sed reddi ea civitas noluit. Convenerat ut Panactum castellum in Boeotiae et Atticae confinio situm Atheniensibus cederetur: rudera tantum quae recuperarent hi invenerunt. Convenerat ut Athenienses Pylo et e ceteris locis, quae armis occupaverant, se reciperent, sed post paucos dies paenituit eos captivorum liberatorum et quae etiam tenebant servarunt, ... expectantes donec pacis condicionibus satis facerent Peloponnesii. Convenerat ... verbis et scripto, non ex animi sententia. Nam licet Lacedaemonii non iam fraudem molirentur, neque qui Athenis rebus nunc praeerant improba agerent consilia, at Lacedaemoniorum socii pacem haud quaquam probabant et foedus a Lacedaemoniis cum Atheniensibus initum suae ipsorum libertati ducebant periculosissimum; Athenis autem qui bellum continuari antehac iusserant, pacis amicis cesserunt quidem in patriae re adversa, sed inviti cesserunt et meliora sperantes.

[4]) In editione, quam Symmachus grammaticus saeculo I° vel II° post Chr. n. commentariis instruxit, alius fuit fabularum ordo. Habebat illa editio *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas*, *Pacem*, *Aves*, *Thesmophoriazusas*, *Ecclesiazusas*, *Lysistratam*, dein et alias; cf. vWilamowitz l. l. — Excerpta ex Symmachi commentariis praebet codex V; quo argumento usus est vWilamowitz ad

qui Ravennati aetate suppar est codex **Venetus Marcianus 474 (V)** foliorum 171, membranaceus et ipse, sed moduli aliquanto minoris [1]), saeculo XI° vel ineunte XII° neglegenter et multis siglis adhibitis scriptus [2]) manibus quatuor, quarum una fuit correctoris [3]). Singulae paginae habent versus 38—39.

Utrius autem codicis maior esset fides, saepius quaesiverunt viri docti; sed tum cum institui coepta est haec quaestio [4]), neque Ravennas cum pulvisculo excussus erat neque Venetus satis accurate erat exploratus; parum autem videtur utilis neque satis digna quae nunc, cum utriusque imago phototypa praesto est omnibus, suscipiatur denuo. Nam suo pretio singulae lectiones sunt aestimandae, neque propterea quod in R vel in V vel alibi legantur aut recipiendae aut spernendae, sed propterea quod verae aut falsae videantur. Quod ubi pro certo effici nequit, ne id quidem sciri potest, quid scripserit poeta; sed non multis locis est quod dubitent qui linguae Graecae et dictioni comicae cognoscendae sedulo dederint operam.

Communis autem amborum est stirps: non fratres sunt, neque fortasse patrueles, sed abavus certe vel atavus utrique fuit idem. Neque a sciolis mutatus est alterius utrius textus.

---

impugnandam opinionem vulgatam, qua prisca ecloga septem fabulas complexa creditur in codice V superesse integra: „damit erledigt sich die ansicht dass „die auswahl von 7 stücken im Venetus erhalten wäre; sie ist auch an sich ver„kehrt, denn diese gelehrteste handschrift repräsentiert keine verkürzung der „auswahl". Equidem nondum reicio illam opinionem, sed potius statuerim ex Symmachi opere plures — fortasse cunctas — fabulas complexo in codicem Venetum ea sola esse recepta quae pertinerent ad septem fabulas in eclogam olim coniunctas. Sic non est quod miremur hunc codicem et paucas tantum habere fabulas in usum tironum selectas, et tamen abundare observationibus non in usum discipulorum sed hominum eruditorum scriptis et ex opere maioris ambitus desumtis.

[1]) Nunc est $27^1/_2 \times 20^1/_2$ centim.

[2]) Nusquam tamen hoc agentibus lectu adeo est difficilis, ut dubitari possit quid in eo sit scriptum. Integer enim prorsus ad nos pervenit, a prima pagina usque ad ultimam nihilo turpior nunc vel obscurior quam tum fuit cum exaratus est.

[3]) Imago phototypa in lucem est emissa anno 1902: *Facsimile of the codex Venetus Marcianus 474, with a preface by J. W. White and an introduction by Th. W. Allen, London and Boston.*

[4]) Cf. A. v. Bamberg de Ravennate et Veneto 1865.

Quapropter ne id quidem iuvat inquirere, in singulis fabulis saepiusne et gravius errarit is qui Ravennatem perscripsit an is qui Venetum; nihil enim auctoritatis sic alterius codicis lectionibus addi alterius detrahi potest. In universum autem dici potest hoc unum: frequentiora esse vitia Veneti, sed et frequentiores esse locos ubi hic, quam ubi Ravennas verum praebeat solus, Veneti igitur textum aliquanto pluris esse faciendum.

In recensendis fabulis, quas et R praebet et V, ceteri codices impune fere possunt neglegi. Nam longe plurimis locis alter ex altero potest emendari, ita ut appareat satis integrum textum habuisse amborum archetypum.

Aptum ad rem illustrandam exemplum praebent Equitum versus 668 et sequens; qui in codice R sic sunt scripti:

ἵν' ἅτ' ὁ κήρυξ οὐκ λακεδαίμονος λέγηι
πυθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περι σπονδῶν λέγων·

in V autem:

ἵν' ἅθ' ὁ κῆρυξ ὀὐκ λακεδαίμον λέγει πὰ λ̈
πύθησθ'· ἀφῖκται γ' π' σπονδῶν λέγων·

Expunctum igitur est *πάλ(ιν)* adverbium, quo violatur metrum; habent id codices recentiores [1]). Porson autem cum perspexisset quid sibi vellet illud *πάλιν*, comici verba sic in integrum restituit:

ἵν' ἅτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν πάλιν.

Ergo in archetypo (*z* dicamus) fuit:

ἵν' ἅτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
λέγων
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν πάλιν.

Superscriptum illud *λέγων* ad vocem *περὶ σπονδῶν* mente suppleri iubebat interpres [2]); quod cum pro *lectione altera* esset habitum, archetypi filius (*y*) haec habuit:

---

[1]) A *Γ Θ* Palat. M.

[2]) In ipso sermone illud participium constanter omitti docuit Porson.

ἵν' ἅτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν λέγων. .|. .|. *πάλιν*

In margine iam exulabat *πάλιν*, utpote lectio sequior. Quae in exemplari (*x*), unde R est excriptus, neglecta est; neque id mirandum, quoniam Equitum fabulae haec pars in illo exemplari — ut et in ipso R — nulla habuit scholia aut interpretamenta. Alius vero codicis *y* filius (*v*) adverbium *πάλιν* proximo versui adiunxit, et sic adauctum illum versum exhibet iam codicis *v* hodie deperditi proles V A *Γ Θ* Palat. M [1]).

Itaque huiuscemodi delineari potest stemma:



A *Γ Θ* Palat. M [2]).

Communia vero quae vitia habent V et R, ea longe maximam partem sunt eiusmodi ut ducibus metro et arte grammatica a quovis possint corrigi; parum igitur prodest codices sequiores perscrutari, an forte etiam sine coniecturalis artis ope *τἄρ'* pro *γάρ* possit scribi ex chartulae alicuius auctoritate, vel *κᾆτα* pro *κατά*. Ad talia in integrum restituenda nullos codices requirebant Bentlei vel Porsoni. Alia, quae graviora sunt, ante aetatem, qua communis nostrorum codicum atavus natus est, in textum irrepserunt, itaque aut toleranda sunt aut invitis codicibus quotquot innotuere corrigenda sunt omnibus; exemplo sint haec: *ὑποδύου τὰς καταράτους ἐμβάδας ... ὑπόδυθι ... ὑποδύσασθαι ... ὑποδυσάμενος* pro: *ὑπολύου ... ὑποδοῦ ... ὑποδήσασθαι ... ὑποδησάμενος* [3]).

---

[1]) Idem vitium in V² R irrepsit Eq. 1351: *μακράς* V¹] *λίγων* V² R. Consimile V R habent Pac. 920 (corr. Dindorf).

[2]) Mitto quaerere quomodo inter se cohaereant codices A *Γ Θ* Palat. M alii; codicum Acharnenses fabulam exhibentium stemma improbo labore acute nuper struxit E. Cary Harvard Studies 1907 p. 157 sqq.

[3]) Vesp. 1157 sqq.

Ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι κακοῖσ' ἐσθλόν τι μέμικται. Non cunctae quas codices recentiores praebent emendationes futiles sunt. Nam debentur iis versus procul dubio genuini Nub. 114 et 1099, qui in V et in R propter *τὸ ὁμοιοτέλευτον* sunt praetermissi [1]). Debetur iis versus Plut. 281 [2]), debentur lectiones quaedam egregiae, quales hae sunt:

Eq.	889	*βλαυτίοισι*] *βα(λ)λαντίοισι* V R.
Nub.	1012	*λαμπράν*] *λευκήν* V R.
Nub.	1298	*σαμφόρα*] *πασία* V R.
Vesp.	577	*ἄχεις*] *ἄχρις* V R.
Vesp.	668	*περιπεφθείς*] *περιπεμφθείς* V R.
Vesp.	1259	*ἦ μὴν*] *ἦν μὴ* V R.
Pac.	52	*ὑπερτάτοισιν*] *ὑπερτούτοισιν* V R.
Av.	318	*σοφιστὰ*] *λογιστὰ* V R.
Plut.	301	*ἡμμένον*] om. V R.
Plut.	681	*ἤγιζεν*] *ἤτιζεν* R, *ὤκιζεν* V.

— ut alia multa, quae levioris sunt momenti, nunc mittamus.

Digni igitur sunt harum similiumque lectionum fontes qui accuratius hic indicentur.

Inter quos excellit — quamquam vitiorum et, quod gravius est crimen, *παραδιορθωμάτων* haudquaquam immunis — **Parisinus 2712 (A)**, saeculo XIII° in membrana scriptus [3]) Qui foliis 320 [4]) praeter vitam S. Sabae et sex fabulas Euripidis et Sophoclem complectitur Aristophanis *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Aves*, *Acharnenses*, *Ecclesiazusas* (usque ad vs. 282). In singulis lineis Aristophanis versus binos [5]) habet exaratos, in singulis paginis lineas 39—41 [6]).

---

[1]) Etiam Pacis versum 1077 sequioribus deberi quod scripsit Dindorf Poet. Scen.[3] p. VI[a], lapsus erat calami; nam et in V et in R is extat, in ceteris vero propter *τὸ ὁμοιοτέλευτον* intercidit, et in editionibus typographis inde ab Aldina desiderabatur, donec a Bekkero e V R revocatus est suumque in locum restitutus.

[2]) Sed et hunc genuinum esse non prorsus constat.

[3]) Denuo nuper consuluerunt vIJzeren et Schepers, Acharnenses etiam Cary.

[4]) Folia sunt 29 × 23 centim.

[5]) *Ternos* vero Euripidis et Sophoclis.

[6]) In Euripidis vero fabulis singulae paginae habent lineas 29—32, in Sophoclis —45.

Recentior et deterior et lacunosus admodum, non plane tamen contemnendus, est saeculi XIV^{i} codex **Laurentianus 31, 15 (Γ)** in charta bombycina scriptus. Qui praeter quatuor tragoedias Euripidis habet Aristophanis *Acharnenses*, *Ecclesiazusas* (—1135), *Equites* (desunt 493—547), *Aves*, *Lysistratam*, *Vespas*, *Pacem* (377—947, 1012—1126, 1191—1300). Habet — immo habuit! Nam tres olim evulsi sunt quaterniones, in quibus legebantur Av. 1120 sqq., Lysistrata, Vesp. 1—420. Foliorum horum 24 pars interiit, reliqua 15 Leidam aberrarunt [1]), in quibus extant Av. 1492 sqq. Lys. 1—61, 132—199, 268—819, 890—1034 [2]). Florentiae supersunt folia 166.

In singulis lineis binos versus hic codex habet perscriptos, et hac in re et ipso textu simillimus codici A.

Restant commemorandi saeculi XIV^{i} codices:

Laurentianus Florentinus 140 (A F 2779) sive **Θ** foliorum 185, qui *Plutum*, *Nubes*, *Equites*, *Ranas* continet.

Vaticanus Urbinas 141 (*U*), foliis 191 praeter quinque fabulas Sophoclis complexus Aristophanis *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Aves*. In singulis lineis bini, hic illic terni, scripti sunt versus; quae et exemplaris unde excriptus est fuit ratio [3]).

Mediolanensis Ambrosianus L 39 bombycinus (***M***), qui praeter Euripidis tres Sophoclisque duas fabulas cum scholiis in foliis 89—231 habet Aristophanis *Plutum*, *Nubes*, *Equites*, *Aves* (—1641).

Sequuntur saeculi XV^{i} codices:

Monacensis 187 (*N*). *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Ecclesiazusas* habet in foliis 1—105, dein Dionysii orbis descriptionem.

Havniensis 1980. Insunt *Plutus*, *Nubes*, *Ranae*, *Equites*,

---

[1]) Ubi vocantur *Vossianus Leidensis* 52. A multis editoribus *Voss.* vel *Leid.* est dictus.

[2]) Cf. Lysistr. Proleg. p. XII—XIV.

[3]) Cf. Piccolomini Studi italiani 1993 p. 443 sqq.

Acharnenses, *Vespae*, *Aves*, *Pax* (1—947, 1012—finem), *Lysistrata* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem).

Vaticani Palatini duo, littera **P** indicati ambo: **Pal. 67**, qui foliorum est 234, *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas*, *Aves*, *Pacem* (1—947, 1012—finem), *Lysistratam* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem) complexus, et **Pal. 128**, qui in foliis 91—185 habet *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas* [1]).

Sequiores sunt **Parisini** saeculi XVI^{i} duo: **Par. 2715 (B)**, in quo extant *Equites*, *Acharnenses*, *Aves*, *Vespae*, *Lysistrata* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem), *Ecclesiazusae* (—1135), *Pax* (1—947 et 1012—1300), et **Par. 2717 (C)**, qui complectitur *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas*, *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Aves*, *Pacem* (1—947 et 1012—finem), *Lysistratam* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem) [2]).

Interioris quidem notae sunt saeculi XV^{i} codices **Venetus Marcianus 475** et **Monacensis Augustanus 492**, sed plane inutiles, quoniam hic ex R, ille ex V est excriptus [3]).

In ruderibus urbis Hermupolidis (hodie Eschmunên) nuper reperta sunt fragmenta complura fabularum *Acharnensium*, *Equitum*, *Nubium*, *Avium*, *Lysistratae*, *Ranarum*, e papyris codicibusque V^{i} VI^{ve} saeculi evulsa. Quorum nonnulla (ex *Equitibus* et *Lysistrata*) edidere Grenfell et Hunt [4]), cetera Schubart

---

[1]) Saeculi XV^{i} codicem Vaticanum Barberinianum I 45, qui *Acharnenses*, *Ecclesiazusas* (—1135), *Equites* continet, in Acharnensibus quidem nullius esse usum, utpote e codice *l'* excriptum, nuper docuit E. Cary Harvard Studies 1907 p. 161 sqq.

[2]) Codicum *l'PBC* Havn. communem originem testantur lacunae fabulae Lysistratae (62—131, 200—267, 820—889) et Pacis (948—1011).

[3]) Codicem Laurentianum 31, 16 (*d*) foliorum 259, in quo exaratae sunt *Plutus*, *Nubes*, *Equites*, *Ranae*, *Acharnenses*, *Aves*, *Vespae*, *Lysistrata* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem), pessimae notae et passim interpolatum esse dudum norant philologi, prorsus nullius esse pretii ostendit Cary l.l. p. 175 sqq.; nam ex exemplari, quod codici *Θ* simillimum esset, excriptas esse fabulas Plutum, Nubes, Equites, Ranas, ceteras e codice B; non XV° igitur saeculo, ut statui solebat, sed XVI° esse exaratum.

[4]) Mélanges Nicole, 1905, 211.

et vWilamowitz [1]). Lacunosa sunt admodum nec nisi perpauca bonae frugis praebent.

Eiusdem fere aetatis est fragmentum, *Avium* fabulae versus aliquot complexum, quod in Museo Parisino asservatur [2]). Singulae paginae, illius certe folii, cuius pars extat, versus 42 habebant exaratos.

Etiam codicis saeculi X^i fragmentum inventum est (in Laurentiano 60, 9), sed rescriptum et vix etiam utile, versus Avium sexaginta (1393—1453) utcunque exhibens [3]).

Praeterea saeculorum XIII—XVI codices extant centum et amplius *Plutum* et *Nubes* continentes; quorum pauci etiam *Ranas*, *Equites*, *Aves*, paulo plures *Ranas* et *Equites*, multi *Ranas* complectuntur [4]). Ex qua farragine lectio, cui suum etiam, postquam accurate explorati sunt R et V, esset pretium, hactenus prodiit nulla, neque veri videtur simile posthac proditurum. Emendationes inde proferri possunt sane plurimae, sed tales potissimum quales omnes omnibus saeculis sponte invenerunt Aristophanis lectores.

Ex A vero et *Γ* haud parum lucri duxit textus *Acharnensium*. Nam leviora ut mittam, qualia sunt Ach. 85 *ὅλους*] *ὀπτοὺς* R, 279 *κρεμήσεται*] *κρεμασθήσεται* R, — talia enim codicis R menda arguuntur metro, — at desunt in R versus 875—877 paene toti, et versus 917, 1097, 1141, 1177 toti [5]).

Nonnihil in *Lysistrata* debetur codici *Γ*: 352 *ἰδεῖν*] om. R, 366 *κονδύλοις*] *δακτύλοις* R, 408 et 618 *ἐπεσκευάσας* et *-σμένα*] *ἐσκ.*

---

[1]) Berliner Klassikertexte V, 2, 1907, 99—112.

[2]) Edidit Weil Rev. de Philol. 1882 p. 179—185. Optimas lectiones hic codex praebet vs. 1078 et 1080.

[3]) Edidit Keil in Herme 1891 p. 128—136.

[4]) Horum ceterorumque codicum Aristophanis, qui hactenus sunt indagati — exemplaria etiam recentissima et quae scholia sola vel fabularum partes tantum praebent cum numerantur cuncta, ducenta et quadraginta sunt fere — catalogum integerrimum et apte dispositum evulgavit I. W. White in novi Musei critici, cui nomen Classical Philology, volumine primo (Chicago, 1906). Quo in opere utiliissimo multos errores correxit et multi codices, qui variis nominibus litterisque a variis editoribus sunt designati, quo loco iam asserventur indicavit.

[5]) Versibus 1141 et 1177 librarius codicis R spatium certe reliquit.

R, 668 *ἀνηβῆσαι*] *ἀναβῆσαι* R, 702 *κἀγαπητὴν*] *καμπητὴν* R, 1028 *ἐκσκάλευσον*] *ἐκσάλευσον* R.

In *Ecclesiazusis* vero, cuius fabulae textum multo minus vitiosum quam Lysistratae praebet codex R, perpauca sunt quae aliunde corrigi aut potuerint aut debuerint.

In *Thesmophoriazusis* denique fabula recensenda unico fonte utimur R.

Uno adspectu quo facilius legentes possint complecti nomina fabularum, quae in codicibus mentione praesertim dignis extant, ex ordine ea disponam in laterculo qui sequitur:

Ach.	Eq.	Nub.	Vesp.	Pax	Av.	Lys.	Thesm.	Ran.	Eccl.	Plut.
—	V	V	V	V	V	—	—	V	—	V
R	R	R	R	R	R	R	R	R	R	R
A	A	A	—	—	A	—	—	A	A —282	A
Γ	Γ (lac.)	—	Γ 421 sqq.	Γ (lac.)	Γ (lac.)	Γ (lac.)	—	—	Γ —1135	—

Scholia longe uberrima exhibet codex V, quae e Symmachi commentariis saeculo I⁰ vel II⁰ post Chr. n. scriptis sunt excerpta, admixtis recentioris cuiusdam grammatici Phaini aliorumque notulis [1]). Sed in membranarum haud ita magnarum

[1]) Cf. supra pag. 266. — Ad calcem Nubium fabulae in V haec leguntur: „*κεκόλλισται* (l. *κεκώλισται, in versus diremta sunt*) *ἐκ τῶν Ἡλιοδώρου παραγέγραπται ἐκ τῶν Φαείνου καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν.*" In fine Pacis: „*παραγέγραπται ἐκ Φαείνου καὶ Συμμάχου.*" In Avium exitu: „*παραγέγραπται ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχο\.*" Ante hypothesin Vesparum: „*Φαείνου καὶ Συμμάχου.*"

marginibus quoniam spatii non tantum patebat quantum requirebatur, plurima loco sunt mota, non pauca praetermissa. Multo tamen integriora et uberiora sunt scholia quae hic praebet codex quam quae ceteri.

Misere autem decurtata praebet codex R, nec nisi in fabulis Acharnensibus Lysistrata Thesmophoriazusis Ecclesiazusis, quas non habet V, utilia [1]). Nulla scholia codex R adscripta habet Equitum fabulae partibus sex et Pacis Avium Lysistratae partibus haud exiguis.

Praeterea scholia extant in codice A ad Plutum Ranasque rara, ad Nubes paulo uberiora; in Γ ad septem quas hic codex complectitur fabulas, in Θ ad Plutum et Equites frequentia, pauca ad Nubes et Ranas. Etiam M U alii scholia praebent; sed sordent ea omnia ad scholia V et vix ullius sunt pretii [2]).

---

[1]) Praesertim scholia ad Thesmophoriazusas, quae ex uno R cognoscuntur, bonae frugis satis multa praebent (cf. schol. ad Thesm. 21, 80, 162, 423, 809, 917).

[2]) Prorsus nihili sunt notae Victorianae (*Vict.*), quas Petrus Victorius saeculo XVI° allevit margini editionis Aldinae; non enim e codicibus hodie latitantibus sed e codice Γ eum notulas illas excerpsisse ostendit E. Cary Transactions of the American Philological Association 1907 p. 199—216.

III. De codicum ceteris meliorum Veneti et Ravennatis virtutibus atque vitiis.

Ad textum codicum ceteris nobiliorum V et R ut paullisper etiam redeamus, satis emendate scriptus neque hic est neque ille; sed vitiis omne genus licet uterque scateat, alterius exemplaris menda ex altero longe plurima corrigi possunt, id quod iam diximus. Cuncta autem utriusque vitia si quis proferret, neque gratum faceret cuiquam neque utile. Sed certa quaedam errorum genera indicare, in quae et alii librarii quilibet — perinde atque typothetae hodierni — saepe inciderunt et qui Venetum Ravennatemque codices perscripserunt, id ab his prolegomenis non videtur alienum [1]).

1) De haplographematis.

Haplographiae debentur quae sequuntur:

Ach. 224 in R est:

μηδέ περ γέροντας <ὄντας> ἐκφυγὼν Ἀχαρνέας.

Cuius erroris et alibi meminisse iuvat et Plut. 258, ubi R habet metro invito:

ὡς εἰκὸς ἀσθενεῖς γέροντας ἄνδρας ἤδη,

V autem in deterius ruens:

ὡς εἰκός ἐστιν ἀσθενεῖς γέροντας ἄνδρας ἤδη.

---

[1]) Quae sequuntur maiorem partem excerpta sunt e Praefatione, quam Ravennatis imagini phototypae praemisi.

Nam et insolitum est *ἐστιν* participio *εἰκός* additum, et vitiose dictum est *γέροντας ἄνδρας ἤδη* nisi participium accedat *ὄντας*. Verum coniuncta Meinekii Blaydesiique opera est restitutum:

ὡς εἰκὸς ἄνδρας ἀσθενεῖς γέροντας <ὄντας> ἤδη.

Tres igitur vitii huius aetates discernimus; nam primum intercidit *ὄντας*, dein verba sunt turbata in codice hodie deperdito, unde et V est ductus et R, tandem *παραδιορθῶν* aliquis in exemplari quod librarius codicis V excripsit, vel in antiquiore etiam codice, metri causa supplevit *ἐστιν*.

Av. 520 codicum V R ceterorum est lectio vitiosa:

ὦμνυ δ' οὐδεὶς τότ' ἀνθρώπων θεόν, ἀλλ' ὄρνιθας ἅπαντες.

Ubi metro iubente Porson restituit:

τότ' <ἂν> ἀνθρώπων.

Lys. 162 habet R:

ἐὰν δὲ τύπτωσιν; — παρέχειν χρὴ κακὰκῶς.

Deletae postmodo sunt litterae *κὰ*, et editio princeps dedit *παρέχειν χρὴ κακῶς*, metro claudicante. Verum praebet *Γ*:

ἐὰν δὲ τύπτωσιν; παρέχειν χρὴ κακὰ <κα>κῶς.

Lys. 768 in R est:

μὴ στασιῶμεν,

verum neque inventu est difficile et in *Γ* legitur:

μὴ στασι<άσ>ωμεν.

Thesm. 448 codex R haec habet:

ὀλίγων ἐνέκ<α κ>αὐτὴ παρῆλθον ῥημάτων.

Cuius erroris manifesti remedium simplicissimum ante Porsonum non est inventum, nam olim in alia omnia aberrabant critici.

Ran. 363 in R est:

ἐξ Αἰγίνης, Θωρυκίων <ὢν>, εἰκοστολόγος κακοδαίμων.

Verum praebet V.

Eccl. 526 muliercula maritum increpans:

οὐ δὴ τάλαιν' ἔγωγε!

ait, si credimus codici R ceterisque. At querentis, non conviciantis est *τάλαινα! vae miserae mihi!* et soloecum est *ἔγωγε* vocativo iunctum; quapropter Plut. 1044 verum esse id quod

praebet V: *τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεως* (immo -ος), non id quod R: *τάλαιν' ἔγωγε*, etiamsi non testarentur numeri, testaretur syntaxis. Nostro loco scribatur sola littera *α* pro diphthongo *αι*, quacum permutari solet in litteratura minuscula [1]), et verum emicat, quod primus restituit Reiske:

οὐ δῆ<τα>, τάλαν, ἔγωγε!

Plut. 246 in R legitur:

ἐγὼ δὲ τούτου <τοῦ> τρόπου πώς εἰμ' ἀεί.

Verum habet V.

Plut. 702.

ὑπερ<ηρ>υθρίασε χὴ Πανάκει' ἀπεστράφη.

Versum restituit Bergk. Nam quod habet V: *ὑπηρυθρίασε* licet numeris non damnetur, nihilo tamen minus aperte est vitiosum, quoniam a contextu aliena sunt *ὑπέρυθρος sub-rubicundus* et verbum — si extitit, nam aliunde non est cognitum — *ὑπερυθριᾶν*. Gemellum vitium in V irrepsit Nub. 136: *ἀπεριμ<ερί>μνως*, ubi integram lectionem praebet R.

Nihilo magis dubia res est Ach. 358:

τί ουν λέγεις κτέ.

Sic R pro *τί οὖν <οὐ> λέγεις κτέ.*

Etiam Thesm. 468 hic afferendus, ubi metro claudicante R praebet

καὶ πολύπλοκον νόημ'.

Dobree revocavit id quod scripserat comicus:

καί <TI> Πολύπλοκον νόημ'.

Idem error in R est Pac. 520:

ὦ πότνια βοτρυόδωρε, <TI> Προσείπω σ' ἔπος,

et in V Ran. 99:

τοιουτονὶ <TI> Παρακεκινδυνευμένον.

Nec non huc facit Av. 1078, ubi R:

λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντ' ἀγάγητε τεταρα,

paulo minus vitiose V:

---

[1]) Exempla e V et R infra afferemus sub 7).

λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντα ἀγάγῃ τέτταρα,

sed hiatus tum demum est expletus cum in fragmento vetusto, quod evulgavit Weil, reperta est lectio sincera:

ἢν δὲ ζῶντ' ἀπαγάγῃι τέτταρα.

Olim igitur e litteris ΖΩΝΤΑΠΑΓΑΓΗΙ duae haplographia interciderunt.

Gemellum vitium in V et R et ceteris codicibus est Pac. 489:

μὰ Δί' ἀλλ' ἐν εἰρήνῃ διαγ<αγ>εῖν τὸν βίον.

Denique indicatus esto Thesm. 494, ubi R:

τὴν νύχθ', ἕωθεν σκορόδια μασώμεθα,

quae metro invito sic distincta sunt in Iuntina:

τὴν νύχθ', ἕωθεν σκορόδια μασώμεθα.

Syllabam supplendam esse vidit Bentley:

ἕωθεν σκόρο<δα> δια μασώμεθα.

Addantur similia duo vitia, quae per paradiorthosin in deterius postmodo sunt mutata. Av. 118 in V R ceteris est:

καὶ γῆν ἐπέτου καὶ τὴν θάλατταν ἐν [1]) κύκλῳ.

Verum restituerunt Elmsley et Beck deleto articulo:

καὶ γῆν ἐπέ<π>του καὶ θάλατταν ἐν κύκλῳ.

Nub. 1276 sq. Strepsiadem et Amyniam sic confabulantes faciunt V R alii:

ΣΤΡ. τὸν ἐγκέφαλον ὥσπερ σεσεῖσθαί μοι δοκεῖς.

ΑΜ. σὺ δὲ νὴ τὸν Ἑρμῆν προσκεκλῆσθαί μοι δοκεῖς.

Ubi e Suida restitutum est verum:

προσκεκλήσ<εσ>θαί γ' ἐμοί.

In vulgata et misere abundat iteratum δοκεῖς et aegre desideratur notio temporis futuri.

2) De versibus propter vicinorum similitudinem omissis.

Haplographematis artissime cognata sunt vitia, quae parit versuum vicinorum similis exitus vel initium. Librarii quae omiserunt, cancellis includemus.

[1]) In V omissum est ἐν, in R est θάλασσαν ἐν. Sed levia haec.

Non nisi pauca huiuscemodi menda V et R habent communia, ex communi igitur archetypo repetita; e. g.:

Nub. 112.

εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω,
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ [τὸν ἥττονα.
τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν,] τὸν ἥττονα,
νικᾶν λέγοντά φασι τἀδικώτατα. [1])

Cui errori similis est in quem codicis A librarius incidit omissis N. 1445—1451 propter vocabulum τὸν ἥττω in exitu versus 1444 et versus 1451 lectum.

Av. 39.

οἱ μὲν γὰρ οὖν τέττιγες ἕνα μὴν' ἢ δύο
ἐπὶ τῶν κραδῶν [ᾄδουσ', Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
ἐπὶ τῶν δικῶν] ᾄδουσι, πάντα τὸν βίον.

Codici V et alia sunt propria et sequentia:

Nub. 485.

ἦν μέν γ' ὀφείληταί τί μοι, μνή[μων πάνυ,
ἐὰν δ' ὀφείλω, σχέτλιος, ἐπιλήσ]μων πάνυ.

Vesp. 979.

κατάβα, κατάβα, κατάβα, κατάβα. — [καταβήσομαι.
καίτοι τὸ κατάβα τοῦτο πολλοὺς δὴ πάνυ
ἐξηπάτηκεν. ἀτὰρ ὅμως] καταβήσομαι.

Av. 499.

ἰκτῖνος δ' οὖν τῶν Ἑλλήνων ἦρχεν τότε κἀ[βασίλευεν.
— τῶν Ἑλλήνων; — καὶ κατέδειξέν γ' οὗτος πρῶτος] βασι-

Av. 791. λεύων [2]) πτέ.

οὐκ ἂν ἐξίδισεν εἰς θοιμάτιον, ἀλλ' ἀν[έπτετο
κἀποπαρδὼν κἀναπνεύσας αὖθις αὖ κατ]έπτετο.

Av. 957.

οὕτω ταχέως τοῦτον πεπύσθαι [τὴν πόλιν.
αὖθις σὺ περιχώρει λαβὼν τὴν χέρνιβα.

---

[1]) -τερα V R non recte.

[2]) Correctum est -ων in -ε et versus in calce paginae suppletus.

εὐφημία ἔστω. — μὴ κατάρξῃ τοῦ τράγου.
— σὺ δ' εἶ τίς; — ὅστις; χρησμολόγος. — οἴμωξέ νυν.
— ὦ δαιμόνιε, τὰ θεῖα μὴ φαύλως φέρε·
ὡς ἐστι Βάκιδος χρησμός, ἄντικρυς λέγων
εἰς τὰς Νεφελοκοκκυγίας. — κἄπειτα πῶς
ταῦτ' οὐκ ἐχρησμολόγεις σὺ πρὶν ἐμὲ] τὴν πόλιν
τήνδ' οἰκίσαι;

Av. 974.

ἔνεστι καὶ τὰ πέδιλα; [— λαβὲ τὸ βιβλίον.
καὶ φιάλην δοῦναι καὶ σπλάγχνων χεῖρ' ἐνιπλῆσαι.
— καὶ σπλάγχνα διδόναι ἔνεστι;] — λαβὲ τὸ βιβλίον.

Av. 1385.

ἀεροδονήτους καὶ νιφοβόλους [ἀναβολάς.
— ἐκ τῶν νεφελῶν γὰρ ἄν τις] ἀναβολὰς λάβοι;

Nub. 1089.

συνηγοροῦσιν ἐκ τίνων;
— ἐξ εὐρυπρώκτων. — [πείθομαι.
τί δαί; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων;
— ἐξ εὐρυπρώκτων. — εὖ λέγεις.
δημηγοροῦσι δ' ἐκ τίνων;
— ἐξ εὐρυπρώκτων.] ἆρα δῆτ' κτἑ.

Av. 662.

ἐκβίβασον [ἐκ τοῦ βουτόμου τοὐρνίθιον.
— ἐκβίβασον] αὐτοῦ πρὸς θεῶν αὐτήν, κτἑ.

Ran. 1200.

ἀπὸ ληκυθίου [σου τοὺς προλόγους διαφθερῶ.
— ἀπὸ ληκυθίου] σὺ τοὺς ἐμούς; — ἑνὸς μόνου.

Codex R propria habet haec haplographiae exempla:

Ach. 916.

ἐκ τῶν πιλεμίων εἰσάγεις [θρυαλλίδας.
— ἔπειτα φαίνεις δῆτα διὰ] θρυαλλίδας.

Nub. 689.

πῶς ἂν καλέσειας ἐντυχὼν [Ἀμυνίᾳ;
— ὅπως ἄν; ὠδί· δεῦρο, δεῦρ',] Ἀμυνία.

Pac. 401.

ἐπεί σε καὶ τιμῶσι [μᾶλλον ἢ πρὸ τοῦ.
— κλέπται γάρ εἰσι νῦν γε] μᾶλλον ἢ πρὸ τοῦ.

Av. 805.

εἰς εὐτέλειαν χηνὶ σύ γε γεγραμ[μένῳ [1]).
— σὺ δὲ κοψίχῳ γε σκάφιον ἀποτετιλ]μένῳ.

Av. 1044.

οὐκ ἀποίσεις τοὺς [νόμους;
πικροὺς ἐγώ σοι τήμερον δείξω] νόμους.

Lys. 900.

μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἢν μὴ διαλλαγῆτέ γε
καὶ τοῦ πολέμου παύσησθε. [— τοιγάρ, ἢν δοκῇ,
ποιήσομεν καὶ ταῦτα.] — τοιγάρ, ἢν δοκῇ,
κἄγωγ' ἄπειμ' ἐκεῖσε.

Thesm. 32.

οὔκ, ἀλλ' ἕτερός τις. [οὐχ ἑόρακας πώποτε;
— μῶν ὁ δασυπώγων; —] οὐχ ἑόρακας πώποτε;

Thesm. 168.

ταῦτ' ἄρ' ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρ[ῶς ποιεῖ,
ὁ δ' αὖ [2]) Ξενοκλέης ὢν κακὸς κακ]ῶς ποιεῖ,
ὁ δ' αὖ Θέογνις ψυχρὸς ὢν ψυχρῶς ποιεῖ.

Thesm. 1101.

Περσεύς, πρὸς Ἄργος ναυστολῶν τὸ [Γοργόνος
κάρα κομίζων. — τί λέγει; Γόργονος πέρις
τὸ γραμματέο σὺ τὴ κεπαλή; — τὴν] Γοργόνος
ἔγωγέ φημι.

Ran. 200.

οὔκουν παθεδεῖ δῆτ' ἐνθαδί, γάστρων; [— ἰδού.
— οὔκουν προβαλεῖ τὼ χεῖρε κἀκτενεῖς;] — ἰδού.

Eccl. 524.

ἔξεστι. — πῶς; — εἰ τῆς κεφαλῆς ὄζω [μύρου.
— τί δ'; οὐχὶ βινεῖται γυνὴ κἄνευ] μύρου;

---

[1]) Sic recte Meineke pro *συγγεγραμμένῳ*.
[2]) Probabiliter Brunck *ὁ δὲ*.

Plut. 194.

ἀλλ' ἦν τάλαντά τισ λάβῃ τρια[κα ί δ ε κ α,
πολὺ μᾶλλον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν ἑκ]κα ί δ ε κ α.

Idem error est in codice A.

Plut. 214.

κἀκεῖνος οὖν σύνοιδε ταῦτα; — φήμ' [ἐ γ ώ.
— ὁρᾶτε. — μὴ φρόντιζε μηδέν, ὦγαθέ.
ἐγὼ γάρ, εὖ τοῦτ' ἴσθι, κἂν χρῇ [1]) μ' ἀποθανεῖν,
αὐτὸς διαπράξω ταῦτα. — κἂν βούλῃ γ',] ἐ γ ώ.

Plut. 711.

παρέθηκε καὶ δολίδυκα καὶ [κ ι β ώ τ ι ο ν.
— λίθινον; — μὰ Δί' ὃν δῆτ', οὐχὶ τό γε] κ ι β ώ τ ι ο ν.

Eq. 418.

ἢ μάτην γ' ἂν
ἀ π ο μ α γ δ α λ ι ὰ ς [σιτούμενος τοσοῦτος ἐκτραφείην.
— ἀ π ο μ α γ δ α λ ι ὰ ς] ὥσπερ κύων; κτέ.

Av. 59.

ἐ π ο π ο ῖ! [ποιήσεις τοί με κόπτειν αὖθις αὖ;
ἐ π ο π ο ῖ!] — τίνες οὗτοι; κτέ.

Plut. 832.

ἦ πού σε ταχέως ἐπέλιπεν τὰ χρήματα.
— κ ο μ ι δ ῇ μὲν οὖν. [— οὔκουν μετὰ ταῦτ' ἦσθ' ἄθλιος;
— κ ο μ ι δ ῇ μὲν οὖν.] — κἀγὼ μὲν κτέ.

Quorum versuum nonnulli in infamiam hanc ob causam immerito inciderunt [2]). Nonnullos in margine supplevit corrector [3]), non omnes tamen.

Ingens autem huiuscemodi lacuna in codice R hiaret, nisi in tempore detecta esset et ab ipso librario expleta, inserto folio 116. Nam causa versuum Lys. 359—434, quos habet illud folium, prius praetermissorum videntur fuisse versuum 359 et 435 verba τὴν χεῖρά τις et τὴν χεῖρά μοι similia [4]).

---

[1]) Sic Cobet pro δεῖ.
[2]) E. g. Av. 59, 1045 Plut. 712.
[3]) E. g. Av. 806 Lys. 902 Thesm. 33, 169, 1102 sq. Eccl. 525 Plut. 195, 215—217.
[4]) Sic Allen.

Hoc loco etiam Nub. 1233 videtur commemorandus. Colloquuntur Pasias et Strepsiades:

ΠΑ. καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς,
ἵν' ἄν κελεύσω ἐγώ σε; ΣΤΡ. <τοὺς> ποίους θεούς;
ΠΑ. τὸν Δία, τὸν Ἑρμῆν, τὸν Ποσειδῶ. κτἑ.

Sic V, in R vero desunt verba: „*ἵν' ἄν κελεύσω ἐγώ σε τοὺς*," cui multi editores fidem habuerunt. At minime supervacaneum est illud *ἵνα κτἑ.*, nisi autem accedat articulus, non rogantis est „*ποίους θεούς*" sed cum risu exclamantis, ut deos ne nauci quidem se facere aperte significet Strepsiades; itaque postquam deletus est articulus, Pasias non potest apte respondere nomina proferendo deorum per quos Strepsiadem iurare iubeat [1]). Quodsi nondum satis certum videatur Ravennati fidem denegandam esse, inspiciatur eiusdem fabulae versus 423, quo melius appareat revera in hunc librarium — eiusve exemplum — cadere huiuscemodi neglegentiam. Scripsit ibi:

ἀλλ' ὅτι δήεις ἤδη θεὸν οὐδένα πλὴν ἅπερ ἡμεῖς,

cum deberet:

ἄλλο τι δῆ<τ' οὖν νομι>εῖς ἤδη κτἑ.,

quae integra (nisi quod ibi quoque est *ἀλλ' ὅτι*) extant in V.

Neque in *scholiis* talia frustra quaeri quivis intellegit. Luculentum exemplum praebet quod legitur in scholio V R ad Nub. 699:

τὸ δὲ τήμερον ἐπὶ χρόνου λέγεται καὶ ἐν Εἰρήνῃ „ἰὼ <Πρασιαὶ... ὡς ἀπολεῖσθε τήμερον" καὶ ἐν Ὀλκάσι· ἰὼ>Λακεδαίμων, τί ἆρα πείσει τήμερον." [2]).

3) De dittographematis.

Dittographemata aperta extant e. g. locis sequentibus:

Nub. 628 habet R:

οὐκ εἶδον οὕτως ἄνδρ[α γ'] ἄγροικον οὐδένα.

Ubi in V recte (*ἐκ πλήρους*) scriptum est *ἄνδρα ἄγροικον*. Qui locus utilis est ad emendandum versum eodem vitio in V et plerisque laborantem:

---

[1]) Accedit argumentum e re metrica petitum, de quo cf. supra p. 222, 2.
[2]) Cf. Proleg. Pac. p. IX.

Plut. 641.

τίς ἡ βοή ποτ' ἐστίν; ἄρ[α γ'] ἀγγέλλεται [1])
χρηστόν τι;

Vesp. 894.

ἀκούσατ' ἤδη τῆς γραφῆς·[ἧς] ἐγράψατο.

Molestum illud ἧς est in V R ceteris, in editionibus fuit usque ad Bentleium.

Pac. 1187 in R est:

ὧν ἐντεῦθεν εὐθύνας ἐμοὶ δώσουσιν

pro: ὧν ἔτ' εὐθύνας.

Thesm. 1047.

ἰώ [μοι] μοίρας ἀνέτικτε δαίμων.

Dittographema, quod metro arguitur, delevit Hermann; pro absurdo ἀνέτικτε Zanetti olim restituit ἄτεγκτε emendatione vere palmari.

Thesm. 1208.

λέλυ[σον]· σὸν ἔργον· φεῦγε κτἑ.

Dele alteram syllabam σον utpote dittographema, et fit lacuna, quam explevit Bentley λέλυσαι scribendo. Nam unice contextui convenit indicativus; pro quo qui λέλυσο coniecere critici, neque lenius adhibuere remedium neque salutare.

Etiam Lys. 1016 dittographematis accenseri potest:

εἶτα πολεμεῖς [εἰπ]έ μοι.

Sic et R et alter testis Γ. Metrum est creticum.

Cuiusmodi loci prosunt veram lectionem quaerentibus Lys. 1109, ubi chorus Lysistratam fieri iubet

δεινήν· ἀγαθήν· φαύλην· σεμνήν· ἀγανήν· πολύπειρον.

Nam non solum deest illic pes, sed praeterea molesta sunt ἀγαθήν et φαύλην, quorum alterum dittographema — aut si quis mavult, lectio altera — alterum interpretamentum videtur vocis ἀγανήν. Genuina igitur haec sola arbitramur:

δεινήν, σεμνήν, ἀγανήν, πολύπειρον,

---

[1]) Ceterum ἀγγέλλετε illic verum videtur; quod si iure statuimus, referendus hic versus inter exempla permutatorum sonorum αι et ε, de quibus cf. sub 4).

altera versus pars periit. Quae fortasse sic explenda:

δεῖ δὴ νυνί σε γενέσθαι
<ἐν τοῖσι λόγοις κομψήν,> δεινήν, σεμνήν, ἀγανήν, πολύπειρον.

Nec non hic commemorandi sunt locus unus et alter, ubi bis eadem verba leguntur.

Pac. 17 sq. servi ita confabulantur:

A. οὐκ... ἔθ' οἷός τ' εἶμ' ὑπερέχειν τῆς ἀντλίας.
B. αὐτὴν ἄρ' οἴσω ξυλλαβὼν τὴν ἀντλίαν.

Sentina quoniam nequit *corripi*, patet e versu proximo vocem esse repetitam. Lacuna igitur indicanda, quae sic potest suppleri:

αὐτὴν ἄρ' οἴσω ξυλλαβὼν τὴν <κάρδοπον>.

Idque legisse videtur qui in scholiis scripsit: „ἀντὶ τοῦ σκάφην. ταῦτα δὲ εἰπὼν προσφέρει τὸ ἀγγεῖον ἐν ᾧ ἐφύρα".

Plut. 1128 sqq. Mercurii sunt clamores lugubres:

οἴμοι δὲ κωλῆς ἣν ἐγὼ κατήσθιον!

et uno versu intermisso:

σπλάγχνων τε θερμῶν ὧν ἐγὼ κατήσθιον!

Ubi quin librariis, non comico debeantur verba iterata dubium non videtur. Sunt tamen in V R [1]) ceteris. Aut priore loco primitus eiusmodi quid fuisse videtur:

οἴμοι δὲ κωλῆς <τῆς ἐμοὶ πάλαι φίλης>

aut posteriore:

σπλάγχνων τε θερμῶν ὧν <κατεβρόχθιζον τότε>.

Eadem causa nimis sibi similes fecit versus vicinos Thesm. 260 et 263:

A. ἆρ' ἁρμόσει μοι; *B.* νὴ Δί' κτέ....
A. ἆρ' ἁρμόσει μοι; χαλαρὰ γοῦν κτέ.

Quorum priorem vitium contraxisse satis docet contextus.

Nec non vox monstrosa Ἀττικωνικοί Pac. 215 hinc duxit originem. Quo loco Mercurius Graecos increpans *bellare* ait *malebatis, licet dii pacem conciliarent,*

---

[1]) In R versus 1129 sq. propter τὸ ὁμοιοτέλευτον sunt omissi, dein in margine additi.

κεἰ μὲν οἱ Λακωνικοὶ
ὑπερβάλοιντο μικρόν, ἔλεγον ἂν ταδί·
„ναὶ τὼ σιώ, νῦν Ἀττικίων δωσεῖ δίκαν!“ [1])
εἰ δ' αὖ τι πράξαιντ' ἀγαθὸν Ἀττικωνικοὶ
καὶ ἦλθοιεν οἱ Λάκωνες εἰρήνης πέρι,
ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· „ἐξαπατώμεθα“ κτἑ.

Leve codicum vitium πράξαιντ' pro πράξαιτ' in versu 215 correxit Bekker, sed praeterea deletis litteris ωνι, quae e versus 212 exitu sunt repetitae, sic scribatur:

εἰ δ' αὖ τι πράξαιτ' ἀγαθὸν <ὑμεῖς> Ἀττικοί.

Simile quid perpessus est Pacis versus 1154. In suavi chori cantico fingitur herus famulo iussa dans: *quatuor sunt domi* λαγῷα, ait:

ὧν ἔνεγκ', ὦ παῖ, τρί' ἡμῖν, ἓν δὲ δοῦναι τῷ πατρί·
μυρρίνας τ' αἴτησον ἐξ Αἰσχινάδου τῶν καρπίμων,
καὶ ἅμα τῆς αὐτῆς ὁδοῦ Χαρινάδην τις βωσάτω κτἑ.

Unde nomen Αἰσχίνάδου alienum esse testantur numeri. Nempe litterae αδ e versu proximo irrepsisse videntur, dein pepulisse praepositionem, comicus autem scripsisse:

μυρρίνας τ' αἴτησον ἔξ <παρ'> Αἰσχίνου τῶν καρπίμων.

4) De permutatis sonis αι et ε.

Plane vulgaris hic est error nec dignus qui in notis criticis commemoretur. Unum et alterum tamen hic dandum est exemplum.

Ach. 263.

φαλῆς ἕτᾱῐρε βακχείου.

Sic R. Verum est ἕταιρε Βακχίου.

Minus apertum est vitium metricum, certum tamen, Ach. 912:

ταῦτα. — τί δαὶ κακὸν παθών.

Ubi Bentley pro δαὶ restituit δὲ [2]).

---

[1]) Doricis formis verborum in codd. substituta sunt: ἀττικίων δώσει δίκην.

[2]) Cf. supra pag. 207, 2.

Nub. 797 in V et in R est:

ἀλλ' ἔσται μοι γ' υἱὸς καλός τε κἀγαθός,

ubi et metrum vitium crepat et γε particula pronominis formae encliticae subiuncta. Patet verum esse ἀλλ' ἔστ' ἐμοί γ'.

Vesp. 890 uterque habet:

τῶν γενναιοτέρων.

Verum esse τῶν γε νεωτέρων cum numeri docent tum contextus.

Pac. 628 in V et in R est:

καὶ κορώναιόν γέ μου | ἐξέκοψαν.

Verum est κορώνεων.

Lys. 1158 in R legitur:

πολλοὺς δ' ἑτέρους ἱππίους καὶ ξυμμάχους.

Apud Suidam extat lectio sincera: ἑταίρους Ἱππίου.

Thesm. 947 unicus codex R habet:

ἄγε νῦν ἡμεῖς πέσωμεν ἅπερ νόμος κτέ.

Poetam dedisse παίσωμεν nemo non videt.

Eccl. 987 iuvenis a vetula correptus exclamat: *Nemo ad ludendum vi cogitur*:

τῷ βουλομένῳ γε, κατὰ τὸν ἐν παιτοῖς νόμον,

si fides codici R. Cui retorquet illa:

ἀλλ' οὐδὲ δειπνεῖς κατὰ τὸν ἐν παιτοῖς νόμον.

Si non vis amare, non vis edere. Miramur autem illam „ἐν παιτοῖς" legem, magis miramur hominem vesane doctum, qui in scholiis annotavit „*Thraciae hanc esse gentem*". Nempe *Paetorum* apud Herodotum mentionem viderat factam. Propius a vero distat codex Γ, qui ἐν πετοῖς habet, integra autem vox ἐν πεττοῖς aut e coniectura est restituenda — neque arduum sane id negotium — aut sumenda e codice B.

Minime gravia haec ulcera. Attamen ab hac quoque parte instat periculum; nam si accedat hominum stultorum paradiorthosis, ne talia quidem satis facile agnoscuntur. Ex. gr. Lys. 565 in R legitur:

πῶς οὖν ὑμεῖς δύνασθε παῦσαι τεταραγμένα πράγματα πολλά.

Verum Porson primus restituit:

πῶς οὖν ὑμεῖς δυναταὶ κτέ.

Olim *δύνατε* scriptum est, id in *δύνασθε* abiit; et novum monstrum inde prognatum *δύνασθαι* habet *Γ*.

Plut. 196 codices V R ceteri habent:

κἦν ταῦθ' ἁνύσῃι τετταράκοντα βούλεται,

metro linguaque invitis. Verum dedit Dawes:

κἦν ταῦθ' ἁνύσῃ<ται> τετταράκοντα βούλεται.

Abiit *-ται* in *-τε*, dein abiecta est syllaba utpote dittographema.

Similem originem habet vitium ioculare, quo laborat scholion V — ut etiam e scholiis afferamus exemplum — ad Ran. 149 *ἢ πατρὸς γνάθον | ἐπάταξεν*: „*ἢ γεραιὰν γνάθον ἔκρουσε*", immo: „*ἢ ἑτέραν γν. ἔκρουσε*".

Non nisi paucissimis locis non plane constat utrum *αι* an *ε* sit genuinum. Sic Av. 1847 in V est:

ὅτι καλὸν νομίζεται,

in R autem:

ὅτι καλὸν νομίζεται.

Ubi veteres dubitarunt et etiamnunc potest dubitari [1]).

5) De permutatis sonis οι et υ.

Ut *αι* et *ε*, sic *οι* et *υ* solent permutari [2]).

Etiam in V et R hoc vitiorum genus ut frequens, ita innocuum. Nam mulieres Thesm. 392 revera dici *μυχοτρόπους* nemo crederet, etiamsi vera lectio *μοιχοτρόπους* servata non esset apud Suidam. In vicinia redeunt *μυχόν* et *μυχοῖς*, ubi *μοιχόν* et *μοιχοῖς* flagitat contextus [3]). Alibi *πυός τις* vox rarior (recte sic V) in R facta est *ποῖός τις* [4]).

---

[1]) Cf. etiam Plut. 641 supra pag. 289 et Eccl. 23.

[2]) Ex aliis poetis ut unum et alterum subiungatur exemplum, apud Homerum *ἀθέσφατος οἶνος* Elpenori struxit perniciem *λ* 61, si credimus codicibus (invito *f*), sed apud Stobaeum extat lectio sincera *ἀθέσφατος ὕπνος*, et *ξ* 8 Eumaeus stabula non *ὕασσιν* sed *οἴασσιν* struxisse dicitur in codicibus quibusdam; apud Sophoclem autem non *ἰτύμα* sive *σεσῖα φθογγά* chori aures ferit Philoct. 205, si fides codici Laurentiano, sed *ἑτοίμα*.

[3]) Thesm. 417, 501.

[4]) Pac. 1150.

Etiam σοι et σύ permutari potuisse non est quod hic demonstretur. E. g. anapaesti tetrametri in V et in R hoc est exordium Vesp. 678:

σὺ δ' ὧν ἄρχεις κτέ. (sequitur: δίδωσιν).

Vel Thesm. 860 in R legitur:

σύ τ' ὦλεθρε | πατὴρ ἐκεῖνός ἐστι;

et Pac. 379:

ἀγὼ προθύμως σὺ φέρων ἀφικόμην.

Magis miramur Thesm. 995 chori Bacchum invocantis verba:

ἀμφὶ δὲ σοὶ κτυπεῖται Κιθαιρώνιος Ἠχώ

in R sic scripta:

ἀμφὶ δὲ συῖ κτυπεῖται,

et stupemus illam scrofam non solum in Ravennatis umbram codicem Augustanum sed etiam in editiones typis impressas Iuntinam Frobenianam alias receptam atque fotam.

Potestne absurdius etiam fingi vitium? fortasse potest; nam vide quid in scholiis ad versum vicinum 910 legatur, ubi Euripides dicitur Κλειτοῦς non *filius* sed „οἰωνὸς" fuisse.

Itaque innocentia iam videntur κοιλιδιᾶν pro κυλοιδιᾶν Lys. 472 [1]), ποικινοὶ pro πυκνοὶ Lys. 388, τυράννους pro κοιράνους Ach. 472, neque admodum miramur οἰκίαν scriptum quod ὑδρίαν esse debebat Lys. 327 [2]). Fortasse etiam Ach. 800 huc referendus, ubi quod in R ceterisque codicibus legitur χοῖρε χοῖρε Bergk χύρρε χύρρε scribendum esse effecit e grammaticorum locis, ubi porcellos vocantium haec vox fuisse dicitur.

Nec non hinc repetendum videtur nomen famuli plane mirificum χρυσέ, quod in V R ceteris codicibus traditum est Vesp. 1251. Bdelycleonis sunt verba:

παῖ παῖ, τὸ δεῖπνον χρυσὲ συσκεύαζε νῷν.

Verum duco:

τὸ δεῖπνον οἶσε,

huc affer, ut deinde claudatur enuntiatum. Sic alibi apud nostrum „ἅλας θυμίτας οἶσε" et similia leguntur.

---

[1]) Item Photius s. v. αἱμωδεῖν (Phot. ed. Reitzenstein p. 53).

[2]) In margine id emendatum est.

6) De permutatis sonis ει et ι.

Etiam sonos *ει* et *ι* saepissime permutari omnes novimus. Exemplo sit quod in R est Lys. 631:

ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννεύσουσιν· ἐπὶ φυλάξομαι.

Immo: *οὐ τυραννεύσουσ'· ἐπεὶ φυλάξομαι.*

Similis error in R paratur Nub. 862:

οἶδ' ἐξετεῖ σοι τραυλίσαντι πιθόμενος,

perpetratus est in V:

οἶδ' ἐξέτι σοι πτέ.

Pudet fere adscribere, *ἐξέτει* esse id quod dederat comicus.

Non minus foedo vitio corruptus est Eccl. 167, ubi *ἐκεῖνον εἴ τι βλέψασα* dedit codicis R librarius, *ἔπι βλέψασα* corrector, *ἐπιβλέψασα* codex *Γ*. Verum restituit Elmsley: *ἐκεινονὶ βλέψασα.*

Etiam lectio hodierna Eccl. 202 sic est nata:

σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' ὁρίζεται | Θρασύβουλος.

Sic *Γ*. Etiamne R? Non ita, sed *ἀλλ' ορειζεται*. Monstrum feliciter procuravit Hermann scribendo *ἀλλ' ὀργίζεται*. Litterae *ΓΙ* in *ΘΙ* abiere, hinc paradiorthosis bellum illud *ὁρίζεται* effinxit.

Eiusdem farinae est e. g. in V et in R: *τί οὖν* et *τί σοι πείθομαι* Nub. 87 Vesp. 761 pro *τί οὖν* et *τί σοι πίθωμαι*. Etiam *πεινῶντα* Plut. 297 scriptum pro *πινῶντα squalidum*, quod restituit Brunck, hic afferendum. Qualia qui multa offendit, audacem non dicet coniecturam Thesm. 21:

θεῖόν τί πού ἐστιν αἱ σοφαὶ ξυνουσίαι,

ubi *οἷον* est in R: *OION—ΘION*. Vel. Eq. 327

πρῶτος ἂν· ὁ δ' Ἱπποδάμου θλίβεται θεώμενος

pro codicum lectione *λείβεται*. *Tu primo loco sedes* (*Cleon*), *sed inter popellum nimis arto loco sedet Archeptolemus vir gravis et de patria optime meritus* (*ΘΛΕΙΒΕΤΑΙ—ΛΕΙΒΕΤΑΙ*).

7) De litteris αι et α permutatis.

Non propter *sonorum* sed propter *ductuum* similitudinem fre-

quens est diphthongi αι et litterae α in litteratura minuscula confusio. Aptum simplexque exemplum extat Plut. 1136, ubi in V legitur εἴ μοι πορίσαις ... δοίης, sinceram vero lectionem πορίσας praebet R. Neque minus apertus error est Thesm. 982, ubi διπλῆν χαίρειν χορείας pro χάριν habet R. Qualia lectorem nullum, qui quidem non plane hebes esset, fallere potuerunt unquam. Paullo minus innocuum est vitium χάλαι(ᾳ) pro imperativo χάλα in R scriptum Thesm. 638; et fallacissima sunt haec:

Ach. 282.

παῖε παῖε τὸν μιαρόν.

Leg. παῖε πᾶς (Bergk).

Lys. 506.

τοῦτο μὲν ὦ γραῦ σαυτῇ κρώξαις.

Leg. (ἐ)κρωξας (Meineke).

Inversa autem ratione αι in α abiit Lys. 1105, ubi iocum vere Aristophaneum leve hoc vitium diu obscuravit. *Quoniam et Lacones et Athienses iam adsumus*, unus Atheniensium ait, *quin advocamus Lysistratam?*

τί οὐ καλοῦμεν δῆτα τὴν Λυσιστράτην;

Cui Laco:

ναὶ τὼ σιὼ καλεῖτε τὸν Λυσίστρατον.

Sic codicis R textus, sed meliora docet scholion, nimis tamen abruptum: „κὰν λῆτε κὰν βούλησθε. διαβάλλει τινά". Recens manus illud „κἂν λῆτε" in textum invexit, Ahrens autem perfecit correctionem:

ναὶ τὼ σιὼ καὶ λῆτε τὸν Λυσίστρατον.

Quin etiam Lysistratum advocetis per me licet! Quivis homo, cuius nomen λύσιν τῆς στρατιᾶς καὶ τοῦ πολέμου promittat, acceptus nobis erit, etiam Lysistratus ille ὁ σκωπτόλης, τὸ Χολαργέων ὄνειδος ἐκεῖνο.

In codice V similis error est Eq. 211. Quo loco R recte habet:

τὰ μὲν λόγια αἰκάλλει με,

V vero: τὰ μὲν λόγια 'καλλεῖ με, stultus autem homo inde effecit id quod in scholiis tanquam „lectio altera" commemoratur: τὰ μὲν

λόγια καλεῖ με. Hoc demum est sapere. Archetypum habuit ταμενλογιακαλλειμε.

Sic etiam Plut. 725 corruptus est in VR:

ἵν' ὑπομνύμενον (sic Girardus pro ἐπ.) παύσω σε τὰς ἐκκλησίας.

Immo ταῖς ἐκκλησίαις, quod praebet scholion. Codices recentiores obsedit paradiorthoma: τῆς ἐκκλησίας.

8) De permutatis litteris η et ω.

Non in minuscula litteratura sed in multo antiquiore facile permutari potuit littera η cum ω et saepe permutata est. Apud Homerum ex huiusmodi erroribus natae sunt lectiones πήληκα pro κώληπα Ψ 726, ἐπιβήτορι μήλων pro -βώτορι ν 222, quae lectio defensores et interpretes nacta est haud illepidos: „ἐπι-„στάτῃ ἢ ἐφιππαστῇρι· οἱ γὰρ τῶν βασιλέων υἱοὶ ἐπὶ τῶν κριῶν „ἱππεύειν ἐμάνθανον" (Hesych.), δινηθείς pro ἰδνωθείς χ 85. Apud comicum autem hinc originem traxit vitium manifestum Av. 1582, ubi in VR ceteris est:

ἀλλ' ἐπικνῶ τὸ σίλφιον.

Quae quoniam non *respondentis* sed *iubentis* esse verba docet contextus, certa est Dobraei emendatio: ἀλλ' ἐπίκνη, idque legit olim qui annotavit quod in R est adscriptum: „ἀντὶ τοῦ ἐπίβαλλε", nec non is cui longior codicis V debetur notula: „δοκεῖ πρὸς μάγειρον οἰκεῖον διαλέγεσθαι ἐπὶ τῷ εὐτρεπίσαι τὸ δεῖπνον."

Nec minus certa emendatione manum poetae restituit vHerwerden in fr. 387 apud Stobaeum allato, ubi inter bona quae affert pax commemoratur τὸ ἀκούειν φωνὴν τρυγὸς

εἰς λεκάνην ὠθουμένης,

immo ἠθουμένης, *dum percolatur*.

Simili vitio laborat textus Thesm. 1031, quo loco personata Andromeda

οὐ χοροῖσ' οὐδ'
ἐφηλίκων νεανίδων
ψῆφον κημὸν ἕστηκ' ἄγουσα

queritur teste codice R. Quae verba sunt sine sensu, arena sine

calce. Pro κημὸν legatur κῶμον, deleatur autem ψῆφον, utpote lectionis vitiosae interpretamentum [1]).

Nec non afferendus hic videtur Eccl. 627. In novo reip. statu, Praxagora ait, cum et cetera communia erunt et mulieres, non pulcri viri soli — id quod verebatur Blepyrus — feminis fruentur,

ἀλλὰ φυλάξουσ' οἱ φαυλότεροι τοὺς καλλίους ἀπιόντας
ἀπὸ τοῦ δείπνου, καὶ τηρήσουσ' ἐπὶ τοῖσιν δημοσίοισιν
οἱ φαυλότεροι κοὐκ ἔξεσται παρὰ τοῖσι καλοῖς καταδαρθεῖν
ταῖσι γυναιξὶν πρὶν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς χαρίσονται.

Sic R. In Γ desideratur versus paenultimus. Emblema manifestum οἱ φαυλότεροι ibi delevit Tyrwhitt, dein probabiliter explevit verbis καὶ τοῖς μεγάλοις post καλοῖς insertis. Praeterea in versu ultimo ταῖσι γυναιξὶ πρὶν <ἂν> ... χαρίσωνται restituit Porson. Denique pro δημοσίοισιν legatur δωματίοισιν. Non enim apud *carnifices*, neque apud *medicos* publicos, neque prope *loca* nescio quae publica — ubi talia non peraguntur — adstabunt viri deformiores, sed *ad fores cubiculorum*.

9) De permutatis ους—οις, ὡς—καί—ἤ.

Etiam -ους et -οις terminationes permutatae inter tralaticia sunt vitia, in minuscula potissimum litteratura. Unum sufficit exemplum:

Ach. 965.

κραδαίνων τρεῖς κατασκίοις λόφοις.

Sic R, nec non in V[i] saeculi papyro nuper repertum est ....λόφοις. Requiritur accusativus, τρεῖς κατασκίους λόφους, gliscens autem deprehenditur vitium in codicibus sequioribus, qui τρισὶ κατασκίοις λόφοις habent.

Recte vero Ach. 627 in R legitur τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν id quod in aliis codicibus est τοὺς ἀναπαίστους.

---

[1]) Neglexi nunc leviora codicis vitia; fusius de hoc loco disputabitur infra.

Etiam *καί* — *ἤ* (*ἦ*) — *ὡς* particulas saepe permutari nota res est.

Permutatae sunt *καί* et *ἤ* Eq. 437, ubi verum servavit codex R:

ὡς οὗτος ἤδη καικίας ἢ συκοφαντίας πνεῖ,

in V autem legitur: *καικίας ϟ* (= *καὶ*) *συκοφαντίας πνεῖ.*

Etiam aptius exemplum est Vesp. 550, ubi metro invito in V et in R haec leguntur:

τί γὰρ εὔδαιμον ἢ καὶ μακαριστὸν μᾶλλον νῦν ἐστι δικαστοῦ.

Fuit igitur in archetypo *εὔδαιμον* $\overset{καί}{ἤ}$ [1]), vitium autem olim peperit signum quod utrivis particulae erat simile.

Simillimus error est Eccl. 474:

ὅσ' ἂν ἀνόητα χ'ἢ μῶρα βουλευσώμεθα R.
ἀνόητα καὶ *Γ.*
Bentley *ἀνόητ' ἤ.*

Non minus certa res est Ran. 104, licet idem vitium ibi praebeant V et R et omnes:

ἦ μὴν κόβαλά γ' ἐστίν.

Quae quoniam non *iurantis* sunt sed *obicientis*, suo iure Cobet restituit:

καὶ μὴν κόβαλά γ' ἐστίν,

at merae hae sunt nugae!

Cognatum est vitium Nub. 1119; ubi Nubium chorus:

εἶτα τὸν καρπὸν τεκούσας ἀμπέλους φυλάξομεν.

Sic V R (*-οῦ-*) ceteri, sunt autem verba *ἀδιανόητα*. Verum vidit Corais, qui scripsit:

τὸν καρπόν τε καὶ τὰς ἀμπέλους,

cum fruges tum vites custodiemus. Quod in archetypo exaratum erat *TЄKϟTAC* in*TЄK8CAC* abiit.

Permutatae sunt *καί* et *ὡς* particulae Lys. 1148, ubi Laco admirationem apertius quam honestius significans

ὁ πρῶκτος ἅφατος ϟ καλός

---

[1]) Cf. infra sub 11).

ait, *ineffabilis et pulcer*, si credimus testi unico R. Non credidit Bentley, sed restituit id quod dederat poeta:

ἄφατον ὡς καλός,

mirum quam pulcer.

Etiam Ran. 1196 sic videtur corrigendus. Ubi Aeschylus Euripidem irridet, qui Oedipum *felicem* aliquando fuisse perhibeat. Ille homo, qui infans per frigus hiemale est expositus, dein anum eamque suam ipsius matrem duxit uxorem, dein oculos sibi effodit ipse, felix erat scilicet! Subiungit Dionysus secum sive ad spectatores verba faciens:

εἰ καὶ ἐστρατήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου!

Sed apte non decurrit oratio nisi pro καὶ scribatur ὡς:

